HECTORIS

FORESTI VASIO-
NENSIS IVRE-
CONSVLTI,
IN

OECONOMICA

ARISTOTELIS,

*Ad eximios Iureconsultos Ioãnem Sadũm,
& Franciscum Claretum, nobiles Aue-
nionenses, Domesticæ prælectiones.*



APVD SEB. GRYPHIVM
LVGDVNI,
1550.

AD LECTOREM.

ECclesiasticam Oeconomiam cum humana cõiunxeram: Atq; quonam modo utraque domus ditesceret, ampla'ue fieret, uel saltẽ conseruaretur, accuratè, utiliterq́; (mea tamen sententia) dicebam. Sed cùm essem utranq; (ut erant coniunctæ) in lucẽ emissurus, ac fortè uiro docto, ac Religioso utrãq; prælegendam tradidissem: ille tandem, Vera, inquit, sunt quæ scribis, tum de maritis, tum de uxoribus ecclesiasticis: caue tamen, mi Hector: Corycæis omnia sunt plena: uide ne pleraq; dicere non liceat. Non enim omne quod aut honestum est, aut uerum, nostro tempore impunè dicitur. Cedo quòd bonos maritos laudes, solosq́; malos, aut negligentes patresfamiliâs in domo dei, atque hos sine nomine increpes, uel contemnas: dehortor tamen emittere. Quibus equidem uerbis commotus, utraque Oeconomia recepta, quasi sumpti laboris pœnitens, abij, atq; seiunxi: ecclesiasticam abieci, humanã emittere procuraui. utilis siquidem est, tum imprimis necessaria, ut sine qua nec domus quidem, nec ipse homo (tantum abest ut ciuitas) constet, uel conseruetur. Oeconomias leges octo et quadraginta Lugduni scriptas præfiximus. Eme, lege: boni enim æquiq; spero consules, cum perlegeris.

*

HECTOR FORESTVS VASIONENSIS, CLA-

rißimis, magnæq; expectationis Iurecõsultis, tum humanarum literarum doctis, Ioanni Sado Masani, Somanæq; domino, & Francisco Clareto, nobilibus Auenionensibus,

S. P. D.

PROXIMIS Calend. Martijs, quum mihi (ut frequẽter solet) uestri uenisset in mentẽ, animaduertens uos ex Platonis diuini philophi constitutione iam ad coniugium, tum eleganti utriusq; corporis dispositione, tum annis, tum etiã facultatibus aptos esse: cœperam mecum cogitare, quonam modo uobis mihi hactenus carißimis, semperq; futuris carioribus, matrimoniũ persuaderẽ. Volebã imprimis huius encomia, & celebrationes describere, quò saltẽ talibus uos ad illud uel traheremini, uel pelliceremini. Sed tamẽ quũ illa sint plana, & latißima, nulliq; nõ cõstent uiro, (maximè uobis, qui neutiquã cõtemnendã, sed magis admirabilẽ tum iurisprudẽtiæ, tũ humanarũ literarũ cognitionẽ, & promptã claritudinẽ adepti estis) eiusmodi scribendarũ laudũ posthabito animo, alterũ cogitaui, quò uos quasi refugientes, ad matrimonium uel cõpellam, uel exhorter. Vertiq; animum ad Aristotelis Peripateticorum facilè principis Oeconomica, ut uobis manifestum faciam hominem, hoc est uirum & uxorem, primam domus partem constituere: adeo, ut neuter sine altero, cum non sit pars domus, nec ciuitatis, uel Reipub. particula esse poßit. Quæ quidem œconomica, quum ab hinc circiter nouem annos, Nobili, tum Magnifico

Paulo Antonio à Gaudagnis, uiro quàm optimè merito, explanassem, & in ea commentarios scripsissem, rursusq; mecum, unà cum scriptis nostris, dudum relegerem, hæc mihi titillarunt animum, ut in lucem tandem emitti uisa sint postulare, tum efflagitare: iustum enim dicebant tempus, superq; incubatum esse. Illorum ergo cùm postulatione, tum efflagitatione (accedente, ut uobis tandem donarem aliquid, quo mei erga uos animum uehementer affectum significarem, desiderio) commotus, uictusq; acquieui: certoq; resumpto studio, nostra scripta rursus scribēda procuraui, eo haud dubiè animo, ut uobis id donarem muneris, quo maxima quæq; domus maior fieri, aut in magnitudine, uel quanta est conseruari potest, soletq;. Nam hoc in munere cōprehēdimus, quæ domū ipsam constituunt, & tum fœcundam, tum amplam, uel amplißimam efficiunt, nempe hominem, poßeßionem, & cōcordem uitam. Quæ tria si, quo modo scribimus, perlegentur, & non negligentur, futurum opinor, ut uel quilibet amplificandæ domus cupiditate ad coniugium aspirauerit. Quanto magis uos aspirare, & conuolare debebitis? Quum enim constet hominē in ciuitate uolentem esse ciuem uxorē ducere oportere, & hac ciuitatē ipsam liberis replere hominibus, nos qualem ducere conueniat, & quonam modo instituenda, tum quid uicißim debeant, scribimus. Deinde ad secundam partē, quæ poßeßio est, trāseūtes, de seruis, de prædijs, de fructibus, deq; omnibus, quæ ad domū amplificādā, & quibus maximè ditescit, quantum satis esse uidetur, & sufficienter tradimus: aut ad certos, facilesq; Autores exactius, uel magis singulariter, & particularius scribētes remittimus. Tertiā partem appellamus concordem uitam in coniugio, uel bene uiuere. Quāquā enim pulchrā, tū fœcundā uxorē quisquā, uel opulentus sortiatur, tametsi quamplurimis seruis, quamplurimis

prædijs,

prædijs, ijsdemq; feracibus sit, nisi tamen profectò uterq; alteri consentiat, ut concordes uiuant, quantalibet domus depauperabitur, ac demum collabetur. Respicite igitur quantum sit utile, Reiq; publicæ, tum honesto consentaneum coniuges fieri, uicißimq; amare se, & concorditer uiuere. An nõ humanum genus ex fœcundis coniugibus conseruatur? An non homo perpetuus efficitur? Præterea an non Dominus Deus noster coniugio minus offenditur? Quocirca ut uobis in animum uxorem inducerem, humanam œconomiam, seu nostros in Aristotelis Oeconomica cõmentarios tandem emittens, uobis ambobus, quod nostri legum interpretes pro indiuiso ferunt, donare, & consecrare cogitaui. Dono igitur, & consecro uobis. Accipite, obsecro, placidè, proq; indiuiso (uel ut indiuiduum) habete, poßidete, sit uestrum. Nec uos, quæso, ab accipiendo muneris dimoueat exiguitas: qui enim donat, magnus amicus erit, est, atq; fuit. sitis itaq; bono erga me animo, maiora quàm sint uel Ethica, uel Oeconomica expectantes. Illa iam nostro Paulo Antonio, tanquàm primo mouenti, hæc uobis dicauimus. Politica uerò iam in animo præparata superis permittentibus, paucos post menses transcribere, emendare, atq; tum emittere procurabo: uestra etiã indiuidua futura. Pergite igitur, qua uia cœpistis ad uirtutẽ, sintq; uobis in ea patrum uestrorum claritudines, & memoriæ, certa uincula: quæ nunquam dissoluatis: sed qualia egerũt ipsi, uos agite. Vxores duxerunt in tempore, quibuscum uiuentes in concordia, pulchram, & elegantem sobolem sustulerunt, ac sublatam, & alitam in Dei laudem instituí procurarunt, multisq; posseßionibus domum amplificarunt, uterq; suam: quarum altera tibi Ioannes, clarißimi tum illustris Ioachimi patris tui Regij senatoris præmatura morte, temporis infœlicitate relicta est. Tibi autem Francisce, altera,

 (ordine,

(ordine, uel natura non perturbata) relinquetur. Viuit enim adhuc re, uiuetq; semper nomine Iacobus pater, ut cognomine Claretus, ita uirtute, & iurium prudẽtia clarißimus. Agite igitur, summo uos hortor opere, ut quales illi aut fuerunt, aut sunt, tales ut minimum esse, semperq; uiuere procuretis: uiuunt enim illi, uiuentq; inæternum. Enimuero nostram Oeconomiam, tum præfixas leges, legentes, boni consulite: & domum uestram, uel amplificare, uel cõseruare sit uobis curæ: atq; uxorẽ ducite in laudem Dei, qui uos uestraq; cõseruet in æternum. Faxit is, obsecro, ut optimus maximus est, ita uobis sapientem, fœcundã, elegantem, bene dotatam, & frugi uxorem dedat: qua uestris amborum operis humanum genus perpetuum fiat, demumq; uestrorum filiorum liberis Domini Dei grex, & beatorum numerus augmentetur: quò tandem eius ipsius regnum adueniat. Bene ualete.

Lugduni, Calend. Nouembribus,

1550.

HECTORIS FO-RESTI VA-SIONEN-SIS,

OECONOMICAE LEGES XLVIII.

I.

Masculus, & fœmella, unum ab æterno patrem summè bonū, ut primā causam, esse credūto.

II.

Illi quod honestum dūtaxat, æquum, bonum'ue, & iustum sit, gratū: reliquum ingratū, putāto.

III.

Sobrium uictum, & uestitum, animo, tum corpore laborantes quæritanto.

IIII.

Nunquam aliquid quod frugi sit, in rem'ue, agere desinunto.

V.

Coitum etiam temperatum (tametsi medicorum dogmate cōmēdetur) fastidiūto, & aspernātor.

VI.

Lasciuum appetitum pullulantem, exurgentem, efferuentem ieiunio, laboreq; suffocanto, extinguunto, premunto, secanto.

VII.

Trigenarius domicilio, ut nido, præparato, uigenariam uxorem pariturā ducito, sociā, uitæq;

consortem factam existimato, uicissimq́; honoranto, tum amanto.

VIII.

Vterq; se non amplius suum, sed utrunque alterius esse sciunto.

IX.

Non tantum uerbera, sed etiam rixæ, uel contentiones absunto.

X.

Turpia factu, nedum dictu, procaces mores, tum petulci gestus, procul sunto.

XI.

Domicilium, uxoris allata, uel non allata dote, maritus commune factum putato.

XII.

Vxoris dote comunicata, agrũ, fundum'ue, tum seruos, aut boues aratores communi nomine comparanto.

XIII.

In agro ut boues tum serui laborent, procuranto: atq; ipsi laborãto, alias'ue in urbe, ad emendatiui, & cõmutatiui iusti rationem negotiãtor.

XIIII.

Communem in domum quantum quisq; poterit importanto, nihilq́; quod penuriæ, damno'ue futurum sit, exportanto.

XV.

Raro conuiuantor. Epulum nunquam, uel semel agunto.

XVI.

Communis domus, prædij'ue munia nõ ad ſexus, ſed ad potentiæ, uel impotentiæ rationem diſtinguunto, diſpertiuntor: Vterq; ſua ſubeunto: & uiriliter, ſeduloq́; agunto.

XVII.

Vt neuter alteri ſit iniurius, præcauento.

XVIII.

Vterque, hoc eſt maritus uxori pellícem, hęc uerò illi adulterum, ne ſupponunto.

XIX.

Vterque ſe uiciſsim, quò abſentem, ęgrotum, uel impeditum alterũ circa Venerem ferre, tum expectare ualeat, inſtituunto.

XX.

Gignundorum liberorum gratia non alia coẽunto, talibusq́; gignundis futuris ciuibus operam danto.

XXI.

Procreatos educãtes, honeſtis, bonis'ue moribus, tum artibus, ut quiſque præclaris poterit, uel diſciplinis componunto, informanto.

XXII.

Ignauo ne tabeſcant otio præcauento: utq́; nõ nil ſemper agant admonento, compellunto.

XXIII.

Illis communem omnium patrem Deum opt. Max. prædicanto: eiúſque omnipotentiam inſinuanto.

XXIIII.

Illis,ut opt.Max.omnis boni, gratiæq; largitorē inculcanto.

XX V.

Quæ præclara facinora fecerint ipsi, maioréſue ſui,narrãto,adq; ſimilia peragenda exhortantor,excitanto.

XXVI.

Fœminas uigenarias matrimonio collocanto, ut quiſque poterit,dotanto.

XXVII.

Maſculis trigenarijs uxorem ducere perſuadēto.

XXVIII.

Domi nurus, ac pronurus filiarum loco habēto: ab eisq; ut filiabus manus cohibēto:ſed amãto: quòd ſi proteruæ fiant,caſtigãto,ne puniunto.

XXIX.

Seruos,ſeruáſue alteros uicarios,alteros operarios conſtituunto:hos ad labores,illos ad præfecturas pollicitationibus,ut libertatis promiſsione excitanto,cogunto.

XXX.

Vtriſq; cibum,potumq;,tum ueſtitum, & caſtigationē,nō punitionē,pro meritis adhibento.

XXXI.

Ignauos,imbelles, timidos, perinde atq; audaces fortibus,et animoſis pmutãto:aliáſue uēdūto.

XXXII.

Vtiles uernarū gignendorū, & matrimonij permiſsione

misſione retinento.

XXXIII.

Qui iuſtum tempus liberaliter ſeruierint, manumittũto. Talibusq́; ut liberis iã factis, uel libertis utuntor, auxilium opemq́, ferunto.

XXXIIII.

Maritus uel uxor poſteriꝰ cubato, prius ſurgito.

XXXV.

Agros in tempore proſcindunto, colunto, ſtercoranto: ſtipulas comburunto: rurſusq́; colunto: & pro dignitate ſeminanto.

XXXVI.

Arbores, palmites, tum frutices, plantanto, inſerunto, uites maritanto, fodiunto, circumfodiunto, refodiunto, putanto, amputanto, interdumq́; (prata uero ſæpe) riganto.

XXXVII.

Fructus pręcoces, uel præmaturos ne colligunto, collectóſue ne conſeruanto,

XXXVIII.

Fructus aũt maturos tẽpeſtiuè decerpunto, metunto, recõdunto: ſingula genera ſingulis locis diſponunto: diſpoſitis utũtor: qui ſupererunt pauperibus diſtribuũto: aut ne curculionibus tineíſue abſumantur, uendunto.

XXXIX.

Non uno fructuũ, ſed plurimis generibus agros ſeminãto. Nec una merciũ uel animaliũ, aut ſeruorũ ſpecie pecuniam inſumũto, diuerſiſq́;

locis fructus, mercesq́; locanto.

XL.

Animalia, boues, oues, capras, & cætera id genus utilia, necessariaq́; depascunto.

XLI.

Alia agris colendis, alia saltibus, alijs'ue studijs, & testiculationibus instituunto, destinanto.

XLII.

Canes, & feles domi pro importatorum custodia, nedum in armento, alunto.

XLIII.

Morbosa pecora segreganto, occidunto, saliunto.

XLIIII.

Vterque alteri tum ægro, tum ægroto facto, ut sibi cousulunto, nullum officium deserunto, sed conferunto.

XLV.

Moribundi communẽ domum communibus liberis testamento distribuunto.

XLVI.

Morientes superstites filios, liberósue ad similẽ peragendam, ut studiosam, uitam exhortantor.

XLVII.

Animam exhalantes ad cœlestem domum, ad illas beatas sedes, ad summum patrem, ita qui uixerint, domumq́; suam instituerint, redire persuasi, hac terrena domo liberis commissa peruolanto.

XLVIII.

Has ll. nostras qui contempserint, se animalis, nedum hominis nomine indignos esse sciunto, & credunto.

AD LECTOREM.

HAs autem octo & quadraginta leges in Oeconomia nostra dicendorum uelut (ita enim nostri dicunt) summaria, seu argumenta esse uolumus: ut quæ optimus quisque lector pugno quodam contracto modo facilè sineq; labore, uel molestia, ex portauerit. ego enim nihil æquè desidero atq; honestæ breuitati operam dare, ductus quidem illo Horatiano Carmine,

Quidquid præcipies, esto breuis: ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.

HECTORIS

FORESTI VASIONENSIS Iuriſconſulti in Ariſtotelis Oeconomica Domeſticæ prælectiones.

PRAEFATIO.

MORALEM Philoſophiam in tres partes diſtributam eſſe, utpote Ethicam, Oecononicam, & Politicam, in Ethicorum præfatione diximus: tum quæ ad primam partem uiſa ſunt pertinere, ibi quantum in nobis fuit, lucidauimus. Proinde ſupereſt, ut ſecundã partem explicemus, quæ Oeconomica dicitur, quam nos de induſtria (ne iniuria quidem) ſecundo reponendam loco cenſuimus. Hanc igitur Xenophon uno libro tradidit: Ariſtoteles autem Fabri Stapulenſis ſententia duobus. Sed qui ambo ſunt Xenophontis libello breuiores uerbis, ſenſus tamen, doctrina, & utilitas illorum permagna eſt. ut de illis dicere liceat, quod Martialis de Aulo Perſio dictum uoluit,

Sæpius in libro memoratur Perſius uno,
Quàm leuis in tota Marſus Amazonide.

Leonardus uerò Aretinus primùm uertit, atque qui unicus erat, eum in duos diſtribuit: quorũ alter ſex capitibus cõtinetur, alter quatuor. Faber Stapulenſis ſecundũ Ariſtotelis (ſi tamen huius fuerit) traduxit. Sed tamen quoniam ad hiſtoriam magis, quàm ad Oeconomicam philoſophiam accedere uidetur, nos illo (ut ſolas hiſtorias, eaſdemq; faciles continente) dimiſſo, primum & ſecumdum Leonardi

explicabimus. aut si quidquam nostram in rem de Aristotelis secundo dicendum apparuerit, id quidem unica opinor, prælectione fieri poterit. Ergo philosophiæ œconomicæ cognitio quantum ad rem familiarem uel augendam, uel conseruandam sit necessaria, quantum utilis, dici profectò nõ potest: nec dies, nec mea quantula est, dicendi facultas illius tum necessitati, tum utilitati prædicandæ sufficeret. Præterea manifestior esse apparet, atque apertior est, quàm ut uel cuiuslibet, aut demonstratione, aut laudatione sit opus. Addamus quod in Platonicis, Aristotelicis, Ciceronianis operibus uersanti multa encomia nũc de re familiari, nunc de mercatura, nũc de agricultura, & re rustica quæ ad œconomicã spectare uidẽtur, licebit animaduertere. Extat quoque M. Catonis senioris de re rustica libellus unus, cuius idẽ Cato in senectute Ciceroniana meminit. Extant Marci Varronis libelli tres, Columellæ xiij. Palladij denique xiiij. Quibus scriptoribus ut fide dignißimis testimonium tum neceßitatis, tum utilitatis rei domesticæ cognitionis sufficienter redditur. Haud itaque iniuria hanc Aristotelis œconomicam explicandam suscepimus: id quod quàm breuißimè, quamq; commodißimè ut fiat, summa tentabimus opera; atque ita, ut Deo permittente & fauente, teq; non solum auscultante, sed etiã adiuuante, dabimus operam, ut quod ad Aristotelis in hac re familiari & domestica sensum pertinere iudicaueris, nihil negligenter prætermissum censebis.

Primum itaq; præfationis uelut præmonitionis, loco esse uolo, quod Xenophon in libello de re familiari Socratem et Critobulum introduxit disputantes, an Oeconomica sit ars: qui ambo multis posthabitis sermonibus artem esse concludunt, atque illum permagna dignum mercede uirum arbitrantur, qui talem adeptus cognitionẽ rem ipsam familiarẽ

auge

auget, & quæ munera oportet, illa parandis opibus, conseruandis, & augendis accommodare pernoscit. Ex quorũ Socratis & Critobuli cum disputatione, tum definitione adnotandum putamus, neminem simpliciter œconomicum uirum dicendum esse, qui duntaxat suam rem familiarem administrat, tametsi ritè, & rectè conseruet, augeat'ue, nisi & alienam quoq; perinde ac suam administrare, conseruare, & augere nouerit. Nam si nemo dicitur artifex, putà architectus, faber lignarius, ferrarius, sutor, caligarius ex eo solum quòd sibi ædes, lecticam, clauem, calceos, caligas, & similia conficere nouerit, & œconomica sit ars: consequitur, neminem œconomici uiri nomine dignum esse, ex eo solum, quòd sibi dunxat rem familiarem, & comparare, aut conseruare, uel augere sit doctus, atq; auxerit. Oportet itaque, ut quis uerè, aut simpliciter œconomus appelletur, alienam, nedum suam, rem comparare, administrare, cõseruare, & augere noscat ac sciat, & per causas intelligat: quod est uerè scire. Quandoquidem, ut in Ethicis diximus, quemadmodum nemo ad se nec iustus, uel amicus dicitur, ita nemo quatenus sua duntaxat regere, & amplificare nouerit, uir œconomicus est censendus: nec medicus, qui sibi dũtaxat, aut suis nouerit medicari. hæc autem sint præfationis loco dicta, ex qua tamen Socratis & Critobuli sentẽtia œconomicam cumprimis artem esse adnotabimus.

Primus ergo liber ad Aretini traductionem sex capitibus absoluitur, quorum hoc primo, quod apud me præludij cuiusdam rationem habere censetur, tres differentiæ domus & ciuitatis, ceu inter rem familiarem & rempublicam contineri apparent. Imprimis igitur res familiaris & respub. differunt, non tantum sicut domus & ciuitas, hoc est, sicut paruum & magnum, sed etiam (& secunda differentia est) illo,

quòd in re familiari unus œconomus, unus dominus, unus rex, unus Imperator mandat, dominatur, regit, & imperat. In re autem publica plurimi præsunt, dominantur, regunt, præcipiunt, imperant: ut senatores, consules, prætores, iudices, tribuni, censores, ædiles, quæstores, curules, milites, procuratores Cæsaris: addamus cursores, & si placet satellites scilicet (nostro tamen tempore) haud quidem inter plebeios parui nominis tum autoritatis homulos Tertia differentia est, quòd domus est prior quàm ciuitas: Nam cùm domus sit uelut materia ex qua ciuitas conficitur, & consequenter hæc sit materiatum, materia semper positione antecedit materiatum. Proinde domus ciuitatem, ipsam antecedit.

Ex hoc principio adnotandum putamus, Ciuitatem hîc accipi posse & pro ipso murorum ambitu, aut ædificiorum coniuncta multitudine, & pro ipsorum hominum congregatione, ita & domum pro ipso quoq; ædificio, & pro domesticis ipsis; ceu familia. Vnde nostri simpliciter & propriè Ciuitatem appellant non muros ipsos, non ædificia, non domos, sed ipsam hominum multitudinem, ut unum corpus, unum quid uniuersum constituens Iaboleni, Vlpiani, Diocletiani sententia.[a] Aristoteles quoq; Politicorum principio ciuitatem hominum multitudinem appellauit: sicut nos Ecclesiam dicimus, nõ ipsum ædificiũ, sed fidelium congregationẽ: ita Ciuitas non ipsi sunt muri, sed homines ad sufficienter, & bene uiuendum congregati: uulgo tamen, ut dictum est, impropriè receptum uidetur, ut & ciuitas, & domus, & ecclesia muros ipsos, parietes, & ædificia significent: sed hæc nullius sunt momenti.

[a] l. Ciuitas. Quod cuiusq; uniuer. no. l. ciuitas. de rebus cred. l. j. de bon. uacã. lib. x. C. Alciat. l. ij. de uerb. signifi.

Proinde si uelimus, dicere licet, Domus ex homine & possessione conficitur, uicus ceu pagus ex domibus: uici uerò & pagi

pagi Ciuitatem constituunt, ex ciuitatibus Prouincia, ex prouincijs Regnum, ex regnis Imperiū oritur. Vnde quod uulgares dicunt, de primo ad ultimum, ceu quadam gradatione, ut ciuitas ex multis domibus, ex multis possessionibus conficitur, ita Imperium ex multis domibus, & possessionibus est cōfectum. Vulgus itaq; ciuitatem ipsos muros appellat, ipsas domos lapidibus & trabibus compositas. Atq; hoc maximè quo muris, & mœnibus circundatas agnoscit. legamus autē textum, Res familiaris &c.

Quædam enim artes &c.

Hac periodo Rem familiarem, seu œconomicā innuit esse artem. Cùm enim dixisset, in re familiari opus esse aliquo uno gubernatore, ac non pluribus: in republica uerò pluribus: dicere uolens, quonā gubernatore sit opus in domo, differētiā quandam inter artes aßignat: atq; ait, nō ita esse in alijs artibus, sicut in œconomica. Quædā enim, inquit, artes sunt, quarum artifices nō utuntur re arte facta, quales sunt quibus fistulas, aut lyras cōficiunt. fistularū nanq;, ac lyrarum, aut similium confectio ad fabrū lignarium, aut artificem. Rei autē arte factæ usus non ad fabrum lignariū, neq; artificem, sed ad musicum, aut modulatorē, uel similem spectat. In re uerò publica, & familiari diuersum est: quandoquidem qui rempub. aut familiarem, uel domum constituit, utitur constituta. Nec satis est quempiam ciuitatem, aut familiam bene constitutam efficere, aut opulentam, & auctam reddere: nisi is constituta uti sciat, & conseruet. Vnde secus est in domo, & ciuitate, atque in conficiendis fistulis, lyris, & similibus. Quales quoq; uidemus esse qui tabulas, taxillos, latrunculos, & cætera id genus conficiunt: etenim ut plurimum nesciunt uti

confectis: utpote tabulis, taxillis, & latrunculis: atque nihil perinde ignorant, ac talibus ludere.

Verùm hac dicendi phrasi, putà, Quædam enim artes &c. *innuit* Oeconomicam & Politicam *artes esse. Distinguuntur ergo, inquit, artes:* Nam quædam *sunt quarum fecisse, & uti facto non est eiusdem, seu ad eundem hominem non spectat facere, & facto uti: de quibus quidem neque* Oeconomica, *neq;* Politica *uidentur. In confesso est igitur utranque &* Oeconomicam & Politicam *artem esse cùm nostrorum sententia exceptio sit de regula. Si quis enim diceret, Quidam discipuli ludunt, Petrus uerò & Franciscus non ludunt: an non statim præsumeres, & Petrum & Franciscum discipulorum nomine comprehensos? perinde est ac si diceret, Arbores euulsit, Laurum autem nequaquã. nam hìc continuo laurum arborem esse intelligimus. Hanc fortasse regulam ita maximè ueram esse censemus, quoties ultima oratio per negationem concipitur. Quòd si utraq; negatiua est, aut utraq; affirmatiua (quales sunt istæ, Neq; arbores, neq; laurum euulsit: Dicite discipulis, & Petro: in talibus inferri apparet, neq; laurum arborem esse, neq; Petrũ discipulum. Sed hæc grammaticis & dialecticis mussa fiant.*

Ciuitas quidem est &c.

Ponitur hìc ciuitatis definitio, quam domorum multitudinem sufficienter agro, & pecunijs abundantem ad bene uiuendum esse ait. Ex qua definitione adnotatione dignum existimo, nequam hominum congressus, nequam multitudinem, tametsi agro, & pecunijs sufficienter abundantem, cùm non bene uiuant, ciuitatem neutiquam constituere. Patet, inquit, necessarium esse, ut ad sufficientiã abundent, & bene uiuãt: Ergo si congregati homines non abundent inter se, ac minimè bene uiuendi sint compotes, soluitur societas, soluitur con

gregatio, ſoluitur deniq; ciuitas. Quocirca hinc quoq; adnotandum opinor, ad ciuitatem conſtituendam opus eſſe agris, pecunijs aut artibus, & diſciplinis. Agris quidem, quò ex ijs, quæ ad uictū neceſſaria ſunt, ut cibus, & potus decerpantur: pecunijs autem, uel artibus, quæ ad ueſtimentum, tegumentum, & calceamentum neceſſaria ſunt, comparentur. unde et pecudibus, & bubus, et alijs id genus animãtibus ad ciuitatem quoq; conſtituendam eſt opus. Ex quo inferre licet, ſi quot homines libet, ſaxoſis in montibus, alioqui ſterilibus in locis conuenirent, tales, quantumuis boni, nequaquam ciuitatem efficerent. Oportet enim ſufficienter agris, animantibus, pecunijs, artibus, & diſciplinis abundantem eſſe. Artibus autem ſine pecunia ſufficienter quoque uiui poteſt, ut nummorum ſuggerantur loco, officiorum ſcilicet commutatione, atque ita artem arte, operam opera, uel opus opere ad proportionem arithmeticam permutamus. Qua quidem proportione non obſeruata, ſoluitur commutatiua iuſtitia, ſoluitur bene uiuere, ſoluitur ciuitas. Diſciplinis quoq; ad bene uiuendū eſt opus, ut illis iuuenes bonis moribus inſtituantur, & præcepta fiant, quibus iam inſtituti cõſeruẽtur. Sed de ijs in Ethicis diximus obiter, largiori uerò ſermone in politicis diſſeremus.

Conſtet itaq; ad ciuitatem conſtituendam & conſtitutam conſeruandam tria imprimis neceſſaria eſſe. Primum, hominum multitudo eſſe uidetur: Secundum, ſufficiens poſſeßio: Tertium, bene uiuere. Quibus ſeiunctis, ciuitatis quoque nomen ſemouetur, & diſpergitur. At interim obiter dictū uolo, quod Plato in primo de Repub. ſcripſit, Ciuitatem quinq; retineri hominibus.

Noſtri autem tum Cæſarei, tum Pontificij iuris cõſulti, illam duntaxat ciuitatis nomine dignam opinantur, quæ ſacro inſignitur Antiſtite, qualis eſt ciuitas Auenionenſis, Carpen-

toractensis, Vasionēsis, Cauallicensis, & similes. Cuius quidem sacri Præsulis tantam autoritatē ne iniuria quidem (si tamen bonus est) esse uolunt, tantumq; honorem eidem præstari, ut si aliquo sinistro genio contingeret, unū atq; alterum ab illa hominum multitudine, quæ eo præsidente ciuitas est, occidi, in tam execrandi facinoris memoriam, & ultionem talis detestanda ciuitas, ut tanto indignam nomine ciuitas esse desineret, ciuitatis nomine ut indigna, & nephanda priuaretur. Sunt itaq; quàm maximo digni honore episcopi, atque eo magis, quo uigilantioribus oculis Domini Dei gregem obseruant, ac protegunt: séue quales Paulus esse iubet, exhibent. Volunt quoq; nostri, Si uel summus Pontifex, uel Imperator ad castrum seu oppidum aliquod scribens, ut ad ciuitatē scripserit; putà qui superscripserit Masanensi ciuitati, Carumbēsi ciuitati, aut quid simile, oppidum quod Masanum, aut Carumbum est, ciuitas efficitur, sicut qui non est doctor, doctor, qui non est nobilis, nobilis, non legitimus, legitimus, ad solam uel Pontificis, uel Imperatoris nominationem. quemadmodū seruus efficitur liber, si à Domino uel liber, uel filius, in actis, hoc est præsente magistratu appellatus fuerit. Num autē homines neglecto superioris, ut magistratus consensu, ciuitatem efficere queant, disputatio, uel determinatio in alterū tēpus transferatur: hæc enim sunt nostrorū.[a] Enimuero ueteres illi philosophi, ut quorum animis Domini Dei nostri opt. max. gratia neutiquā aspirabat, neq; sacrū episcopum, neq; pontificem, neq; apostolum scientes, neq; principem, qualē nos, cogitantes, illam ciuitatē appellabāt, quæ (ut superius est dictū) ex hominū multitudine, ex agris, & alijs antè dictis ad sufficienter, & bene uiuendū cōstaret, ut illorū sentētia, quæcunq; multitudo, quodcunq; castrum, quicunque pagus, modò sufficiens esset, & bene uiueret, ciuitatis nomine donaretur.

[a] Bart. in extrauag. Qui sunt rebel. in uerb. Lōbardiæ. Iason in l. si hæres. §. uiris. de leg. j.

Insup

Insuper huius gratia.

Confirmat, ad constituendam ciuitatem necessariam esse abundantiam, & bene uiuere, tanquam partes substantiales ipsius ciuitatis. Ait enim, homines congregantur, ut sufficienter, ac bene uiuant. Illud autem, cuius gratia unumquodque est, uel fuit, substantia dicitur eius quod est, uel fuit: qua quidem substantia deficiente, desinit ipsum quod est, aut fuit. Cùm igitur sufficienter, & bene uiuere sint quorum gratia ciuitas est, (nam homines in ciuitatem congregantur, ut sufficienter & bene uiuant) sufficienter & bene uiuere sunt pars substantialis, & finis rationem habens ipsius ciuitatis. Vnde consequitur, ut deficiente abundantia, uel sufficientia, & bene uiuere in ciuitate, deficit ipsa ciuitas.

Hoc autem, ut cætera solemus, familiari demonstremus exemplo, & forsan subrustico. Finis conficiendi uasis est, ut liquore, puta uino, repleatur: prius itaq; quàm uinum infundatur, non est simpliciter uas: quandoquidem caret fine, scilicet repletione, tanquam parte maximè necessaria ad esse, aut cuius gratia uas est. Ita & ciuitas cuius constituendæ causa est sufficienter & bene uiuere, quibus ambobus, aut altero ipsorum deficiente, ipsa ciuitas deficit. Ex tribus igitur antè dictis, uidelicet ex domorum, idest hominum multitudine, ex agro, aut possessione ad sufficientiam, & bene uiuere ciuitas constat: horum enim gratia congregantur homines, horum gratia ciuitates fiunt, ut, scilicet, sufficienter, & bene, hoc est in tranquillitate, aut concorditer uiuatur. hoc itaque ut inuictum, ita catholicum, perpetuum, & uniuersale permaneat, rem quamlibet nõ antea talem simpliciter esse, quàm ad finem cu-

ius gratia est, peruenerit, & in eo perseuerauerit: sicut homo non agens cum uirtute, nequaquam homo est, ut in Ethicis diximus: ex quo factum putamus, quod fertur Gall. la fin coronne. Nam cessante fine, tanquam gratia cuius, cessat res, cuius est finis.

Itaq; patet &c.

Ex nuper dicta ciuitatis definitione infertur, domum aut rem familiarem esse prius, quàm ciuitatem. Cùm enim ciuitas ex domibus uelut partibus cõstituatur, & partes sint prius quàm ipsum totum: consequens est, domum, ut partem, esse prius ciuitate, ut toto. Considerandum igitur est, inquit, de re familiari, ut de ciuitatis parte: ergo haud iniuria quidam de re domestica, de re familiari prius tractandum esse opinatus sum, quàm de re pub. Apparens enim est ordine doctrinæ, ut prius de partibus, tanquam totius constitutiuis, tractandum sit, quàm de toto. Nam de materia antè quàm de materiato differendum est: atq; hoc maximè sequutus uidetur Aristoteles in naturalibus, in quibus de simplicibus egit, priusquàm de compositis diceret. Quandoquidem fieri minimè potest, ut totũ, ceu compositũ pernoscatur, nisi partiũ, aut simpliciũ sigillatim necessaria cognitio antecedat. Neq; fit, ut quisquã materiatũ pernoscat, nõ antea cognita materia. Cùm itaq; domus aut res familiaris sit pars uelut materia ciuitatis, prius (ut parte, uel materia) de domo disputandum erat, quàm de ciuitate, ut toto, & materiato.

Nostri uerò iurisconsulti pugnant, uolentes generalia ceu uniuersalia particularibus præcognosci: ex quo generales seruitutes, generales obligationes particularibus anteponunt. Sed nos in Ethicorum peroratione hanc dubitationẽ soluimus, & tandem Aristoteli nequaquam dissentientes politicas præceptiones Oeconomicas antecedere debere determinauimus

nauimus. Etenim illæ ſunt, quæ & domeſticos inſtruant, domeſticis dominentur, ac præcipiant, ut uniuerſales leges continentes: quas quidem politicas præceptiones, quas uniuerſales leges ſi quis cognouerit, ille (ſaltem quoquo modo) cognoſcet œconomicas, cognoſcit leges particulares. Quare de uniuerſalibus dicendum fuit, ſaltem pingui Minerua, & (quod ait ille) groſſo modo, id quod exemplo magis elucidandum uidetur.

Si quis de homine dicere conſtituerit, non ab articulorũ (cum honoris tamen præfatione) unguibus, aut ab ipſis articulis ordietur, non ab ipſis capillis: ſed prius quodam modo quid homo ſit, uelut quoddam totum explicabit: deinde à dignioribus partibus ad minus dignas proficiſcetur: ita factu dignũ uiſum fuit Ariſtoteli. Cùm enim libris politicis quid nam eſſet ciuitas explicuiſſet, quibusq; abundè conſeruetur, quoniam ex domibus, ex re familiari conſtare in confeßo eſt, neceſſarium fuit quò nihil indictum remaneret, de domo quoque, de'ue re familiari, tum eius partibus iam tandem mẽtionem & ſermonem faceret. Enimuerò quibus argumentis, uel rationibus ego quidem ductus præpoſtero doctrinæ ordine utens œconomica politicis antepono, hoc unũ de plurimis ſit præcipuum, ſcilicet Politicorum longitudo, & Oeconomicorum breuitas temporis breuitati coniuncta: octo enim Politicorum explicandis libris quod de anno ſupereſt tempuſculum nequaquam ſatis futurum eſſe apparet. Sint autem hæc tandem ad primam œconomicorum prælectionem ſatis: ex quibus antè dictis hoc primum omnium exportemus, tribus potißimum domum à ciuitate differre: primò, ut pars à toto: ſecundò, ut prius à poſteriore: tertiò ut in qua unus dominatur ab ea in qua plures. Addamus ut materia à materiato, & cauſa à cauſato. Domus enim materia eſt,

& ciuitatis causa uidetur. An uerò totidem necessaria sint ad proportionem in domo, quot in ciuitate, posterius determinabitur. Hæc igitur ut primo capiti, ita primæ œconomicorum nostræ prælectioni sint satis. Crastino die secundum exordiemur, cuius cognitionis futuram & utilitatem, & delectationem permagnam, ad me recipio, iudicaueris.

AD II. CAPVT.

ELucidatis præcedenti capite differentijs, quæ sunt inter rem familiarē & rēpub. seu domum & ciuitatē, hic de partibus domus agitur, quæ duæ Aristotelis sentētia uel opinione potißimum sunt. altera enim Homo est, altera Possessio, quibus nos tertiam addere possumus, quam Bene & concorditer uiuere appellemus. Quoniam autem hominis appellatione Caij sententia uterq; sexus cōtinetur,[a] eodem uocabulo uxor quoque perinde atq; uir comprehenditur. Vnde ad ueram constituendam domum uxore opus est: adeo ut uterq; unicam domus partem conficiunt. Proinde qui sine uxore, aut quæ sine marito uitam aut transigunt, aut degunt, cum seiunctim non sint pars domus, consequitur nec ciuitatis partē esse. Ex quo mihi, ut quàm maxime à uirorum, nedum ciuiū, nomine uidentur abesse, qui ob molestias, quæ ab uxoribus plerunq; contingunt, ab illis ducendis non tantum ipsi abstinent, sed alios quoque toto quidem opere, totoq; impetu dehortantur, atq; interim fortasse domu aut cōcubinam fouēt, aut focariam alioqui ciuili, nedum canonica lege, sacrorumq; patrum sententia, seu institutis prohibitam meretricē alunt, eaq; potiuntur. Addamus forsitan & consanguineam, aut affinem, ex qua spurios, & incestuosos partus uel nephandā prolem sustollunt, ac Rēpub. talibus illegitimis liberis contaminant, quemadmodum superioribus annis de quodam (cuius tamen

[a] l. hominis appellatione. de uerb. sig.

ius tamen nomen ſit indictum) accidiſſe intelligo, quem aiunt cùm prædefuncti germani uxore congreſſum, ex ea maſculum ſuſtuliſſe, omni quidem tum paterna, tum materna indignum ſucceſsione.

Sed hanc ad rem de ducendis uxoribus mihi iam ſit ſatis illa Metelli Numidici cenſoris orantis ſententia. Aiebat ille, Ciuitatem conſtare ſine matrimoniorum frequentia non poſſe. Nam ſi ſine (inquit) uxore poſſemus Quirites eſſe, omnes ea moleſtia careremus: ſed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis, nec ſine illis ullo modo uiui poßit, ſaluti perpetuæ potius, quàm breui uoluptati conſulendum. hæc autem refert ex Metello Aulus Gell. lib. 1. cap. 6. Addendum uidetur, quod Socrates, magnæ cùm prudentiæ, tum ſapiẽtiæ uir, uxorem Xantippen alioqui rixoſam, ac moleſtam pertulit: adeò ut Alcibiadem interrogantem, quonam fieret modo, ut ita tum clamoſam, tum moleſtam uxorem perferret, quum liberum eſſet amandare, uicißim rogauit his uerbis, Nónne domi tuæ gallinarum glocientium ſtrepitum toleras? nónne tumultuoſum ca ca ca ca ca? nonne anſeres gratitantes? Et cum Alcibiades ſe tolerare dixiſſet, Quoniã gallinæ, tũ anſeres oua, pulloſq; parerẽt: replicuit Socrates, Et mea Xantippe mihi liberos parit, ac fouet.

Poſſem equidẽ tũ ex Platone, tum ex Ariſtotelis Politicorum libris, màxime cap. 16. libri ſeptimi, de uxorũ ducẽdarũ neceßitate huc quàm plurima transferre. Sed præter quòd longa eſſent, ſuis in locis fauentibus ſuperis aliquando explicabuntur. Hoc unicum ergo ex Ariſtotele Politicorum ſeptimo, nedum ex noſtra Chriſtiana religione, referamus, Omnem concubitum, præterquàm uxorium interdictum eſſe ut reprobandũ, & illicitũ. Nónne dominus Deus nõ mœchãdũ, nõ fornicãdũ, non uxorẽ proximi cõcupiſcendũ præcepit? & tamen

& tamen ob forsitan etiam leues molestias, aut mundanos et pomposos mulierum uestitus, uxorem refugientes nihil magis quàm mœchamur, fornicamur, & concupiscimus: nihil magis quàm uicini, amici, fratris uxorem, affinem, cognatã, commatrem, ac nonnunquam sororem, priuignam, nurum, filiam, nouercam, (masculos autem, quoniam aër ipse talibus inficitur, nominare formido) solicitamus, decipimus, & malis dolis persuademus. Constet itaq; hominem, hoc est maritum & uxorẽ, qui sunt unus homo, unus animus, una mens, unaq; uoluntas, esse partem domus, adeoq; ut sine uxore, sineq; marito domus non est, multo minus ciuitas: neuterq; sine altero simpliciter ciuis.

Altera pars domus est Possessio, hoc est, quoddã ius, quo rem ad uictum necessarium possidemus, ceu quod habemus in rebus corporalibus, mobilibus, immobilibus, animatis, & inanimatis, quales sunt serui, boues, oues, capræ, equi, muli, asini, cameli, breuiter greges et armenta, prædia urbana, tum rustica, merces, supellex, et similia: quo quidẽ possessionis iure nobis permissum est ad animi nostri arbitriũ de re possessa disponere, puta colendo, utendo, habitãdo, fruendo, fructus aut operas percipiendo, demoliendo, occidendo, uendendo, permutando, donando, alienando, aut similiter agendo. Tale itaq; ius nostrorũ sententia possessio est: unde quũ ius sit quid incorporale, possessio quoq; incorporalis est, & animo, ut re incorporali, retinetur. Res uerò incorporales, qualia sunt iter, actus, uia, aquæductus, usus, usus fructus, habitatio, hæreditas, seruitutes, breuiter obligationes, iura, & actiones cum (Pauli et Labeonis sententia) nõ possideantur,[a] possessiones nequaquam simpliciter dicẽdas opinor: quandoquidẽ cùm sint iura, & possessio sit quoq; ius, illa non conuenit retineri iure, idest possessione, sed animo retinentur. In talibus enim, ut in

[a] *l. possideri. de acquir. uel omi. poss. & l. sequitur. § si uiã. de usucap.*

ut in quibus pedẽ ponere non licet, ſi non tangi, aut calcari poſſunt, animus eſt, quo imprimis retinentur. Dictam autem poſſeßionẽ Labeonis & Pauli ſententia [b] à pedibus uolunt, quaſi ſit pedũ poſitio. Quicquid enim (aiebãt antiqui) tuus pes calcauerit, hoc tuum eſto. Id quod uidetur ex domini Dei ad Ioſue uerbis deſumptum, cuius ſunt hæc, Omnẽ locũ quẽ calcauerit ueſtigiũ pedis ueſtri uobis tradã. Ioſue cap. 1.

[b] l. j. de acquir. uel omit. poß.

Noſtri uerò recentiores Poßidentem dictũ determinant ſedere potentẽ, unde poſſeßio ſit ſedẽdi potentia, non autẽ pedum poſitio: ut Poßidẽs dicatur, qui potis eſt, uel potẽs ſedere. Quæ ſententia magis atq; magis arridet. Nã pleraq; poſſidemus potentia, quæ à nobis ipſo longe diſtant actu, ut in quibus pedẽ nõ ponimus, nec ponere licet, propter abſentiã, & longam diſtantiã: niſi dictũ uelimus, uerba in definitionibus, non actum, ſed aptitudinem ſignificare, ut poſſeßio ſit pedum poſitio, ſaltem aptitudine: & poßidens aptus ad poßidendum. hæc autem logicis miſſa fiant.

Rerũ ergo corporaliũ, ſimpliciter, & propriè poſſeßio eſt, incorporaliũ uerò nõ ſimpliciter, ſed impropriè, uel ſecũdum quid. Retinetur autẽ aut acquiritur taliũ rerũ poſſeßio animo, uſq; adeo ut quicunq; carent eo, quales ſunt mente capti, furioſi, ac pupilli, neq; acquirere, neq; retinere poſſeßionẽ poſſunt ſimpliciter.[a] Præterea fieri nõ poteſt, ut ſingulis, quæ noſtra uel ſunt, uel eſſe uelimus, illis aut pedibus inſiſtamus, aut ſedeamus. Enimuerò eiuſmodi poſſeßionis, quæ animo fit, retẽtio per actus exteriores exprimitur, quales quidem ſunt corporis actus, ut agrũ colere, fructus percipere, ſeruorũ, aut animatorũ operis uti, & ſimilibus: adeoq; neceſſaria eſt huiuſmodi animi poſſeßionẽ retinẽtis demonſtratio, ut ſi quis tales actus poſſeſſorios longo tẽpore facere deſierit, ille noſtrorũ ſentẽtia poſſeßionẽ, ideſt ius utẽdi, fruẽdi,

[a] d. l. j. § ſed furioſus. de acqui. uel omit. poß.

di, donandi, uendendi, & cætera id genus, amittat: prædiũ autem ipsum non amittitur, sed stat, et permanet, ius uerò utẽdi, fruendi, in alterum transfertur, ut primo occupantem, sicut de pauonibus, & ceruis nostri dicũt, qui tandiu in possessione nostra esse censentur, quandiu animũ reuertendi ad nos habere dignoscuntur.[a] Quòd si reuertendi consuetudinẽ desierint, tunc tẽporis nostri iuris esse desinunt. Sed hæc sunt nostrorũ, ex quibus tamẽ (ut inuictũ) cõstet, possessionẽ simpliciter esse ius utẽdi, fruẽdi, colẽdi, & cætera id genus agendi.

b Institut. de rerum diuisione. § pauonũ.

Humanarũ autem uel bonarũ literarũ docti autores (abs quibus tamen interim nostros iuris consultos, maximè legum Pandectarum sancitores, nunquàm secludemus) possessionis quoq; appellatione ipsas proprietates, ipsos fundos, ipsa prædia rustica, ceu urbana, & corpora immobilia nonnunquam comprehendunt. Proinde multarum possessionũ hominẽ dictum uolunt, qui multos agros possidet, ex quo possessiunculam paruũ agrũ appellare solemus, in qua significatione Cicero plerisq; in locis, quæ breuitatis gratia non refero, usurpauit, cuius sententiæ fuerunt Paulus, & Callistratus, ut censuerint, possessionem non tantũ ius utendi fruendi, sed etiã ipsam rei proprietatem, ipsum solũ, aut fundũ significare.[b]

b l. Interdũ De uerb. sign. & l. Si de ui. Et Iudi.

Cæterũ grammaticus, & sophista aduersus Ciceronem, & Iurisconsultos instabunt hoc modo: Lectio nõ est id quod legitur, neque uisio quod uidetur, neq; amatio quod amatur, aut obligatio quod obligatur: ergo possessio non est id quod possidetur. Eiusmodi enim nomina uerbalia sunt, quæ actionem, aut actum, uel ius quoddã magis, quàm ullum corpus significant. Ex quo hic grammaticis & sophistis assentiendũ apparet. Sed tamẽ nihil nos moueãt huiusmodi inanes dictionum deriuationes, aut exacta uerborum demonstratio: sensa enim quærimus, quibus ancillantur, & deseruiunt uerba: ap-

parente

parente igitur sensu, aut dicentis mēte, uel uolūtate, ipsorum uerborū parui fiant deriuationes, aut significationes, adeò ut si quis de re sua disponēs demonstrata per manum, uel aliâs sufficiēter, domo, dixerit, Do tibi hanc uineā: ualet donatio domus. Cōstat enim per demōstrationē de re ipsa, deq; disponētis uolūtate. Siue igitur possessio corpus ipsum significet, siue ius utēdi fruēdi, uel aliâs de corpore disponēdi, nihil interest: cōstet autē possessionē esse secundā partē, qua domus cū homine, ut antè diximus, cōstituitur. Domus ergo (inquit Aristoteles) partes sunt homo & possessio.

Enimuerò Socrates & Critobulus in Xenophontis Oeconomica disputāt, An qui inimicos habet, ille possessiones habere dicatur: & cōsequēter, utrū possessionis nomine cōprehendātur inimici. Nā si quæcūq; habemus, possideamus, & possessiones sunt, ut habens multa prædia, multos seruos, armenta multa, possessiones dicatur habere multas: apparet cōsequi, ut inimicos habēs possessiones quoq; habere censeatur. Proinde, inquit, possessionis appellatiōe cōprehēdūtur inimici: cuiq; pleriq; sunt tales, illi pleræq; possessiōes esse dicātur: & qui diues est possessionibus, ille diues quoq; inimicis dicēdus erit. Sūt enim Socratis et Critobuli sentētia inimici possessiones: adeo ut qui rē familiarē, uel domesticā inimicis auctiorē reddere sciuerit, & reddiderit, illi pro doctrina, tū labore multa sit merces retribuēda. Attamen (Socratis & Critobuli pace honoreq; saluis) hæc quæstio, scilicet, an inimici possessiones sint, nō tanti esse apparet ut in uerbosam aut uirorū ingenij disputationem mereatur procedere. Certū enim est inimicos, ut tales, nulli omnino domesticā ad rem augendam usui, uel commoditati futuros. Quocirca ne iniuria quidem possessionis appellatione inimicos non comprehenhēdi, et à re domestica exterminādos cēsemus. Quoniā uerò

nostrorum sententia unius cõtrariorum exclusio, est alterius conclusio, quum inimici & amici sint contraria, consequitur ut inimicos à re familiari secludẽtes amicos includamus: hi enim optima possessio est: hi ferax, opimum, & optimum prædium: hi lætus, & utilis ager: hi fœcundum, huber, & succosum armẽtum: hi denique tutissima domus, tutissimumq́; refugium, ut cui plerique sunt amici, illi pleraque prædia, plurosq́; nummos, pleraque omnia necessaria, & optima esse consentiamus. Nam *amici* (Lælij Cicerioniani sentẽtia) *optima, pulcherrimaq́; supellex est, ut Socrates ille amicum maluerit, quàm* Darij *aurum, (cuius in* Ethicis *meminimus) atque quàm ipsum* Darium *capere.* Quòd *si possessionum nomine inimicos comprehenderemus, his in tali serie collocatis, ex antè dicta nostrorum regula à possessionum ordine seponerentur amici, quod nequaquam censendum uidetur.*

Sed tamen, ut & Socratis & Critobuli sententia, nec non Lælij Ciceroniani *definitio constent, dicamus neque inimicos, neque amicos simpliciter possessiones esse, aut non esse: sed eatenus possessionum numero collocandi sunt, quatenus habens ex illis fructum & utilitatem consequitur, prosunt'ue habenti, siue sint inimici, siue amici.* Si *quis enim ea fuerit prouidentia, & solertia, ut ab inimicis utilitatem percipiat, tunc temporis quo emolumentum percipitur, haud equidem ab re illos inter possessiones collocandos existimo, quum hîc etiam tales animo expetamus.* Expedit *enim, itaq́; utile interdum est, inimicos habere, ut aduersarios.* Etenim *magis ad agendum excitamur, & commouemur, atque nonnunquam permagnam utilitatem afferunt, suntq́; magnæ commoditatis, & exercitij causa: hoc uerò maximè, quo amici ad uehementius inter se amandum compelluntur.* Nam *quibus inimici sunt, illi uehementius*

mentius inter se amant, nouos amicos quærunt, uenantur, conciliant, comparant, & ueteribus cõiungunt, suam in rem magis uigiles fiunt, uiuaciores euadunt, robustiores, acutiores, meliores deniq;, atq; illorum metu suum quisq; munus, si quod habet, grauiter magis tum fideliter exercẽtes. Quòd si nullos omnino inimicos haberent, in desidia, in crapula, in ebrietate, et luxuria uiuerẽt, pigrescerẽt, ac torpescerẽt, munus suũ dolis, & fraudibus, tũ latrocinijs exercerent: itaq; in deteriores euaderent. Ecce ergo quantum utilitatis ex inimicis, aut illorum causa comparetur.

Neq; hîc me pigebit de quodã, interiocãdi gratia, dicere, qui cùm esset studiosus iuris, & prouectioris ætatis, illiq; constarent, eius sententia inimici quàm plurimi, aut forsitan bonorum eius petitores futuri, dies, noctesq; indefessus legibus, tum ciuilibus, tum canonicis incumbebat, atq; nonnunquam cautelis Cæpolæ intendebat, famem, sitim, calorem, & frigus perferens. Interrogatus autem quid ita se miserè uigilijs, & studio maceraret, neque quicquam intermitteret: Complures inimicos, respondit, poßidere, quorum solum gratia tantam operam legibus, tum cauillis, ac cautelis intẽdebat, ut aduersus illorum technas, insultusq; futuris petitionibus, & controuersijs euaderet apparatior. euasit scilicet, in uirum & doctum & cauillosum adeo, ut tametsi tardus, hebesq; ingenio uidebatur, eratq; omnino: Cæpolæ tamẽ innumeras cautelas perdidicerit ac permultum in nostra ciuili facultate profectum fecerit, non forsitan inimicis in amicos conuersis facturus. Tales itaq; inimici ex quibus, aut quorum gratia res familiaris augetur, uel utilitas percipitur, in poßeßionibus esse poßunt: sunt enim interdum plurimorum causa bonorum, ut quibus semotis amicorum præsertim remollesceret amicitia, inanis fortaße tandem futura: coniunctis

C autem

autem uiuacior, & robustior permansura.

Constet itaq; ex Socratis & Critobuli sententia, inimicos quatenus prosunt, aut illorum causa proficimus, possessiones esse: & contrà, amicos quatenus obsunt, illorum'ue causa pigrescimus, aut depauperamur, possessiones nõ esse. Nummi quoq; malè utenti possessiones non sunt: nam si quis nũmorũ affluentia scortaretur, ut morbum tum animi tum corporis contraheret, hîc nummi neutiquam sunt possessio. Sed eatenus possessionum loco sunt, quatenus illis rem domesticam augemus.

Neq; etiam omnis fundus, omnis uilla, omnis equus, omnis grex, aut omne armentum, uel omnis seruus, possessio est: sed illa dũtaxat possessiones sunt, ex quibus utilitatem consequimur. Si quis enim expectata hæreditate pingui fretus, uel iam illam consequutus, desidiosus, aut luxuriosus fiat, uel in perditum adulescentem euadat, neq; hîc hæreditatem quãtumlibet pinguem possessionum loco numerandam opinor. Si quis equos calcitrosos, indomitos, sessorum excussores, uoraces, uel contrà imbelles, extenuatos, macilentos, nulliusq́; laboris aut exercitij potentes, & qui plus detrimenti afferunt, quàm fructus, habeat, neq; hîc tales equi possessio est. Si quis seruos morbosos, tardos, ignaros, indociles, nulliusq́; fructus domi alat, tales serui possessio non est. Si quis uel ouium, uel caprarum, uel suum gregem, uel asinorum, mulorum, equorum, camelorum, uel boum armentum, quantumlibet innumerum, nullius autem fructus, sed sterile, & infœcundum, aut siccum depascat, neque talem gregem uel armentum in possessionum ordinem ducendum arbitror. Si quis gallinarum, columborum, pauonum, aut anserum, anatum, phasianorum, perdicum, coturnicum, turturum, ficedularum, uulturum, aut id genus auium multitudinem, uel phalangem, nulla

nulla tamen oua, aut pullos parientem, neque ullam ad rem utilem, ſed ſterilem prorſus, maiuſq; detrimentum, quàm emolumentum ferentem paſcat, neque gallinæ, columbi, pauones, anſeres, & cætera id genus, poſſeßio eſt. Si quis plurimos fundos, ut uineas, prata, oliueta, uiridaria, noualia, multa impenſa colat, plurimaſq; uillas, aut ædificia construat, uel ruinoſa reficiat, de quibus emolumentum nullum prouenit, ut quæ ſterilia ſint natura, aut in non frequentibus & inhabitatis regionibus ſita, eiuſmodi prædia ſiue rustica, ſiue urbana ſint, poſſeßio non eſt. Si quis omnigenorum granorum aceruos, aut uinorum plurima dolia in horreis & uinarijs cellis cumulet, ſed hæc uappam fieri, illa uerò tineis, blattis, curculionibus, & uermibus abſumi permittens: neque hîc grana, uel uina poſſeßio eſt. Denique ſi quis innumeram ſupellectilem, quæ nulli ſit proſus uſui, aut rei domesticæ commoditati habeat, neque hæc ſupellex poſſeßio eſt. In ſumma quicquid magis obeſt, quàm prodeſt, ac quicquid non prodeſt, poſſeßio non eſt. Constet itaque amicos quatenus illorum cauſa profectum facimus, aut inimicos, uel quatenus proſunt, auxiliantur'ue, poſſeßiones eſſe: quatenus autem obſunt, mali'ue cauſa existunt, non eſſe.

Quòd autē ex inimicis fructus interdū plurimū percipiatur, ſintq; imprimis neceſſarij testatus eſt Onomademus Chius, in cuius patria factione, & ciuili ſeditione, belloq; orto, demum ſedatis ciuibus, & pace compoſita, non permiſit ſeditioſos, ſeu factioſos ciues ut inimicos omnes exterminari: ſed aliquos in facti memoriam retinendos perſuaſit: tum ut ciues inter ſe boni magis amarent, tum ut eſſent, in quos naturæ malitiam, aut feruorem exercerent, atque excuterent, nec inter ſe amici uicißim facerent im-

petum & inimici fierent. An non & de Iudæis, quos nostræ Christianorum religionis aduersarios, ut inimicos ponimus, permagnam utilitatem consequimur? Num sine causa inter nos Christianos agere permittuntur? ne mihi quidem uidetur. quoniã memoria nobis sunt, solidumq́;, ac sufficiens Christi nostri seruatoris monimentum. Quoties enim Iudæum, ut inimicum, nostræq́; religionis aduersarium cernimus, toties, ut minimum, benedicti Christi nostri redẽptoris paßionem nobiscum memoramus. èx quo quatenus ita sunt utiles, in possesßionum nu̅mero collocandos putamus. Sed tamen interim quantum, & quot poterimus bonis uerbis, synceris q́; admonitionibus, doctrinis, & exemplis ad nostram religionem Christianam, & sacrum baptisma perducamus. At, malùm, nihil hoc minus agimus: quin si qui diuini spiritus gratia baptisentur, tales, ut plurimum maximis iniurijs cum uerbo, tum re factis laceßimus: non baptisatis uerò nostros numos pauperrimis Christianis fœnerãdos tradimus: breuiter, ad quodnam malum agendum Iudæorum ministerio uel opera non utimur? etiam nostrum Christum si rursus nasceretur, cum illis rursum nos crucifigeremus. Quod autẽ de Iudæis diximus, ut illos in ecclesiasticis possesßionibus collocemus, idem de nostrorum maiorum stemmatibus, idem de nostrorum diuorum imaginibus & simulacris (siquo tamẽ modo talibus proficimus) determinandum censemus. Multum enim ad cum uirtute agendum, & Christianè operandum, eadem ob animi uel corporis oculos habentes, excitamur, aut adhortamur: sed nos talibus nostro malo, ad bene agendum nihilo secius quàm non habentes mouemur: sed magis à Christi nostri saluatoris cultu auertimur & retrahimur. De ijs uerò, deq́; Iudæis, in Ecclesiastica œconomia latius, ut accuratius agentes determinabimus. Quamobrem hæc aliũ

in locum

in locum transferentes, ad Aristotelis tandem textum ueniamus: in memoriã tamen, quasi de nouo anteà reducentes, domum ex duabus potissimum partibus Homine scilicet & Possessione constantem esse: & illius appellatione maritum & uxorem: huius autem quicquid utile est, aut ex quo fructũ consequimur contineri. Sed legamus textum.

Domus quidem partes.

Homo ergo & possessio sunt partes domus. addamus & tertiam partem, quæ Honesta, & bona uita sit. Quemadmodum enim ad constituendam ciuitatem bene uiuere necessarium est, ita de domo dicendum puto, ut in concordia, & bene uiuatur.

Quoniam uerò &c.

Hanc regulam, ut catholicam, & uniuersalem annotabimus, etiam in minimis naturam cuiuscunq; rei esse inquirendam. Vnde quum domus uideatur esse, sitq; de ijs, quæ ciuitatem ipsam constituunt, non iniuria de minimis ipsam domum efficientibus, quæ minima ciuitatis esse uidentur, inspiciendũ est. Quocirca ex Hesiodi sententia, domicilium imprimis, deinde uxor, tertio bos arator ad constituendam domum necessarius est. Animaduertant itaq; qui uxorem ambiunt, se'ue in illam præcipitant, ut ante omnia ædificandũ domicilium procurent, scrobem conficiant, nidificentq́;, quo ducenda fœmella partum collocet, fœtificet, oua pariat, incubet, tum pullos foueat, alatq́;. Quod Hesiodi consilium de imprimis domicilio procurando, utinam atq; utinam nostri temporis iudices, nostri magistratus, qui'ue rebuspub. imperant, præciperent obseruandum. Neque enim tot intempestiuæ coniugum ductiones, tot pauperum cõiugia, tot abortus, tot fœtuũ suffocationes, tot oppreßiones, tot deniq; (etiam, miserùm, sine Christiana lotione, qui baptismus dicitur) expositiones

cernerentur.

Alterum enim &c.

Facto, uel præparato domicilio, uxor ducenda est, & bos comparandus. Alterum, nempe uxor, ad procreandos liberos: alterum, ut bos, ad uictum necessarius. hunc autem eundem Hesiodi locum Aristoteles libro primo, capite primo Politicorũ ponit: ubi bouem aratorem ait esse pauperi, quod seruus diuiti. Nos autem pro boue aratore, possessionem intelligamus, ceu quicquid, unde utilitas ad uictũ necessaria cõparatur, qualiscũq; res sit mobilis, uel immobilis animata uel cõtrà. Quũ igitur cõstet utrũq;, putà uxorẽ ad liberos procreãdos, & bouem aratorẽ, uel possessionẽ, ad uictum necessariũ esse, operæpretium est utrunque comparare, uel redimere, aut redemptum disponere, & ordinare, ut ex utroq;, id cuius gratia est, putà ex uxore liberos, ex boue aratore, & possessione uictum consequamur. Proinde quicunq; uxorem uel uoluptatis, uel diuitiarum causa, alio'ue fine, quàm ut suscipiant liberos, ducunt, si adulteram, uel superbã factam deinde animaduertunt, talibus amen dico, receperunt mercedem suam. Cuius enim finis uel illicita uoluptas, uel auaritia, aut aliàs reprobus est, nihil mirum si molesta, & reproba interteruenerint media. liberorum enim gratia non uoluptatis, pulchritudinis, uel auaritiæ uxor ducenda est.

Quod cùm ita sit, neque infantem uxorem, neq; quinquagenariã, quantũlibet uel speciosam, uel diuitem, ducendã puto. hæc enim (Platonis, Aristotelis, physicorum, ac medicorum sententia) inutilis ad gignendam prolem, infœcunda, & & præter id annorum sterilis: illa nondum apta esse proli, ut immatura uiro, dicitur.

Sciscitabuntur forsitan aliqui, quum uirgines & intactas uxores expetamus, quonã fiet modo, ut pernoscamus, sint'ne

steriles,

steriles, an fœcundæ? Hîc opus, hîc labor est: Lex enim & ciuilis honestas periculum facere non permittunt, anceps ergo est uxorem ducere. Anceps quidem: sed tamen hîc imprimis explorandum opinor, quibusnam, & qualibus, fœcundis, an contrà, parentibus originem traxerit, tum quali corporis habitudine, uel dispositione conspiciatur. Nam si unica patri, & unica matri extiterit, signum, solidumq; argumentum apparet, sterilem filiam futuram, quæ parentes penè steriles, & infœcundos sortita est. Quòd si ex patre & matre fœcundis originem duxerit, malo uerò corporis habitu esse appareat, ut quæ sit extenuato uultu, macilẽta, languida, eneruata, & extenuata: aut contrà rubicunda, obesa, exossata, uel abdomine tarda, alioqui quæ temulentiam indicet, signum quoque est futuram sterilem, & infœcundam. In altera enim bilis atra, in altera phlegma, prædominans'ue sanguis fœtum suffocat, semenq; arefacit genitale, uel abortire compellit. Sed quæ habitudine temperata uidetur, ut quæ nec languida, nec pinguedine tarda cernitur, illa mihi ferax, mihi fœcunda futura censenda est, mihi omnino placet. Horum autem physicos, & medicos iudices esse uolumus. Procuremus uerò interim, ut qualem uxorem expetimus ad liberos procreandos, talis sit, uel disponatur: neque nos moueat uel solum genus, uel pecunia, uel forma: sed sobolis procreandæ, aut reipublicæ, uel generis nostri cõseruandi cupiditas. undè nec uetulas quãtas quãtas, nec infantes quales quales ducamus. Quòd tamen si contigerit & uxores nostras, & nos secundum naturam ad generandum dispositos esse, & tamen nihil generemus, haud quidẽ minus Domino Deo gratiæ sunt agẽdæ: ut cuius summa prouidẽtia, ut nihil generemus præcauetur: eius enim ipsius in manu sunt omnia: dat, & aufert, quãdo bonum

do bonum uidetur. Sed ad alia, non enim iam hîc theologum agere in animo est. ergo hæc sint obiter dicta.

Possessionis autem &c.

Alterum ad cõstituendam domum bouem aratorem Hesiodi sententia esse diximus: aratorem inquam, idest laboratorem, non segnem, aut inutilem, sed qui frugi sit, fructúmue ferat plurimum: proq; tali boue aratore quancunq; utilem possessionem, nedum bouem ipsum, aut rem animatam intelleximus. Quid autem possessio sit, superius latè, abundeq; diximus. De huius uerò cura, & utilitate hîc dicendum est.

Possessionis itaque cura, uel utilitas duplex est. Vna enim secundum naturam esse dicitur: altera non secũdum, sed præter naturam est. Illam agriculturam ponimus, quæ prior est, & magis laudabilis. Vnde utilitas quæ ex illa prouenit, secundum naturam est, & laudabilis: ergo rem familiarem ex agricultura magis auctam facere, amplificare, est inter prima laudabile.

Augemus autem, & amplificamus, agrum proscindendo, nouellando, exossando, colendo, serendo, metendo, stipulas incendendo, paleas recondendo, uineas uel malleolos plantando, paxillis alligando, fodiendo, circunfodiendo, refodiendo, putando, amputando, ne pullascant cauendo, scabiem & corticem uetustum superuacuum, ac molestum leuiter auferendo, uoluolas ceu uermes exterminando, execrando, arbores plantando, ordinando, inserendo, sepes circumponendo, ulmis nucibus, salicibus, & populis palmites maritando, pergulando, nonnunquam rigando, demortuas arbores, & amputatas uites in sarmenta exportãdo, in demortuarum locum alteras substituendo, propagando, lætamen (sed non omnia in loca) ferendo, spargendo, prata frequenter rigando, stercorando, fœnum secando, grana, uuas, fructus, fœnum, &

paleas

paleas in tempore colligẽdo, ſicco in loco recondendo, oues, capras, boues, deniq; armenta depaſcendo, teſticulando, tondendo, mulgendo, coagulando, caſeos conficiendo, ſiccando, ut fœtificent procurando, morboſa pecora ſanando, ſegregando, annoſas pinguefaciendo, cum incurabilibus occidendo, excorticando, excoriando, pelles, coria, pelliceis ueſtibus, ſtragulis, mantellis, tegumẽtis, calceamẽtis, utribus aptando, carnes autem ſale condiendo, & cætera id genus agendo, quæ ſecundum naturam ad rei conſeruationem, tum ad rem domeſticam augendam neceſſaria eſſe uidentur.

Volebat quoq; noſter Vaſionenſis, uir profectò, & plurimarum literarum, boniq; conſilij, tum magni nominis, ſed nonnunquam præter modum credulus, ut ſingulis in fundis ſterquilinium fieri ſumma cura daremus operam: tum ut diteſcere uolentes ſcropham alerent: pariet enim, inquiebat, ſuculas, & porculos ter, quaterq; annuatim: quibus quidem porculis, partim ueſcantur, partim factis muneribus amicos parent, partim uenditis pecunias ad fundos emendos cumulent, partim ad gregem innumerum conſtituendum retineant, hoc modo ſtatim, leuiq; aiebat, labore diteſcunt homines, mirumq; in modum res augetur domeſtica.

Hoc autem conſilium, tametſi aliqua ex parte ridiculum eſſe appareat, non tamen omnino aſpernendum eſt: tali enim modo ex ſcropharum fœcunditate crebra, nonnullos diuites eſſe factos audiuimus. Illud uerò, ſcilicet de Sterquilinijs ſingulis in fundis conficiendis, non eſt ſimpliciter utile: etenim non omnis fundus, non omnis arbor, nõ omnis deniq; frutex ſtercoranda eſt. hæc igitur cura poſſeßionum & utilitas ſecundum naturam eſt & laudabilior, atq; permanentior, ut eo modo poſſeßiones colamus, fructusq; percipiamus, quo natura docemur.

Gallinas quoque, anseres, anates, pauones, & columbos pascere, ut oua pariant, partisq; incubēt, pullosq; foueāt procurare, gallos alere, in tempore plumis exuere, pinguefacere, occidere, ex illis utilitatem capere, & eiusmodi cultus, & utilitas secundum naturam est. Quòd autem galli capi fiant, tametsi pinguiores euadant, ut carius ueneant displicet omnino: nam præter quod contra naturam apparet talis cultus & studium, integritas tum uirilis, tum belluina cōseruandæ speciei gratia placet.

Opponent autem forsitan hîc de arietibus, hircis, & bubus, quos elumbes & emasculatos ad usum nostrum fieri inquiunt, conuenit. Cedo secundum quid talibus pertinacibus & inimicis naturæ, cui placent perfecta omnia. Placet autem interim genus ipsum conseruari. Sed hæc uerbosis dimittamus. At nobis imprimis et corporis, nedum animi perplaceat integritas. Nam præter quòd emasculādo naturā ipsam offendimus, tales elumbes facti breuioris, ac minoris tum uitæ, tum roboris, tum animi conspiciuntur, & ad conseruandum genus inutiles.

Mihi quoque & apum, & bombycum cura, utilitasq; secundum naturam apparet, imprimisq; laudabilis, ac sine magno labore, uel impensa, & utilis, & honesta res est: ex utrisq; enim permagna comparatur utilitas. Nam ex his uestes, & pannos bombycinos, & sericos conficimus, ex illis mel, nunc uernum, nunc æstiuum, tum ceram ad quamplurimos usus comparamus. Quales autem apes, aut bombyces sint alijs utiliores, Vergilio, Plinio, & Columellæ sunt, quæ corpore minores, aliquanto tamen longiores conspiciuntur. Apibus locus apricus placet, ita uerò, ut solem immoderatum non ferunt: sed enecantur, non minus quàm Borea: pascuntur floribus, & thymo: nonnunquam suo ipsarum melle: delect

le: delectantur alueis subericijs, aut, ex arborum corticibus, uel stipitibus percauatis. Sed de ijs ad Columellam remittimus. Bombyces autem mororum, aut ulmorum folijs imprimis pascuntur, nonnulli aiunt furfure delectari: in utrisque permagna prouidentia, tum ex utrisque, utilitas perspicitur.

Cura igitur secundum naturā est, & possessionis utilitas, quæ suscipitur non alterata præter eius naturam, re quā colimus.

Prima itaq; patrisfamilias consideratio sit, ut pernoscat possessionis naturam, aut qualitatem, & secundum illam curam adhibeat, & cultum singula enim sunt singulis distincta proprietatibus, tum muneribus. Proinde singulari cultura, & accommoda solicitudine opus habent. Nam si eodem modo oleas coleremus, quo salices, aut populos, talis cultura non uideretur naturalis, sed præter naturam.

Secunda ergo possessionis cura & utilitas illa est quam percipimus non secundum naturam possessionis, sed præter, qualis est cura metallorum educendorum ex terra, ut in auri, argenti, plumbi, & ferri fodinis. Hæc enim tametsi naturalia quidem sunt, terram autem illorum gratia effodere, eui scerare, quodammodo uidetur illam offendere, quæ fructibus, & granis producendis, ferendis, et nutriendis nata est.

Vnde si procuremus ferrum, plumbum, argentum, uel aurum, ex terra educere, & huiusmodi rebus rem familiarem auctiorem faciamus, talis cura & utilitas est non secūdum naturam. Talibus enim nec uestimur, nec uescimur, facileq; illis secundum naturam carere possemus: solis enim granis, & fructibus tum animalibus alimur, & uestimur. Quare animalia pascere, agros, & arboros colere, magis

magis est secundum naturam, quàm metallum effodere, aut lapicidinas conficere.

Si quis oleas eodem cultu, quo populum coleret, & per hypothesim non oliuas, sed alios fructus, tametsi utiles produ cerent, cultus, & utilitas præter olearũ naturã censerentur.

Si quis agrum uni leguminum generi, ut fabis, ciceribus, pisis, aut lentibus natura destinatum, frumento, ut annonæ, farri, siligini, auenæ, hordeo, orizæ, disponeret, etsi permulti ex eiusmodi semente utilitatem perciperet, talis cultus, & utilitas non secundum naturam censeretur.

Si quis arborem, ut cærasum, pyrum, pomum, aut prunũ, certo mense, ut Iunio, fructum producere solitam, ita coluerit, uel aqua tepida rigauerit, ut mense Aprili, uel Maio, fructus ferãt præcoces, & cultus, & irrigatio, nec nõ utilitas seu fructus non secundum naturam est.

Si quis cinaras, uel carduos gallinaceo uel columbino lætamine stercorauerit, ut articocalos (artichaultz uulgò dictos) ante tempus producant, & cultus, & utilitas est non secundum naturam, imò & hic naturam ipsam offendimus, ut qui & id genus fruticibus, & arboribus inopinatum occasum comparamus immaturaq; fruticum, & in naturam peccantes arborum aut fruticum morte fructus præcoces redimimus. Agriculturã ergo iustam esse ait, & laudabilem utilitatem, quæ ex illa prouenit secundum naturam.

Non enim &c.

Causam aßignat, quare agricultura sit iusta, & secundum naturam. Non enim, inquit, capit ab hominibus, seu uolentibus, ut ars mercenaria, aut cauponaria: seu inuitis, ut ars bellica. Hinc ergo adnotandum est, ex agricultura iustius rem domesticam amplificari, quàm ex quauis re alia,

quæcunque

quæcunque ſit illa, ſiue ars ſit mœchanica, ſiue militaris, ſiue literaria. Nihil mirũ itaq; ſi ueteres illi Romani: ut honeſti, & iuſti maximè ſtudioſi tantam agriculturæ operam impenderint, totumq́; uitæ tempus, aut maximam partem in agris colendis inſumpſerint, uitamq́; ruſticam præ cæteris dilexerint. Quam quidem uitam ruſticam Cicero pro Roſcio Amerino dicens, honeſtiſsimam, & ſuauiſsimam appellauit.

Nolo autem hìc argumentum de ruſticæ rei laudibus longius producere: enimuerò conſtet imprimis honeſtum, iuſtumq́; eſſe rem domeſticam ex agricultura auctiorem reddere, quandoquidem hìc naturam ipſam ſequimur, nihilq́; quàm quod illa exhibet, capimus. Alij autem rei domeſticæ augendæ modi, ut qui fiant ex arte, putà ex mercenaria, cauponaria, uel bellica, non ſunt æquè iuſti, neque ex æquo laudabiles. Per mercenariam autem artem, aut laborem, intelligimus quancunq; artem, ceu laborẽ qui ſuſcipitur pecuniarum, aut nummorum cõſequendorum gratia: cuiuſmodi eſſe poſſunt nummi, quos lucrifacimus patrocinando, cauſas agẽdo, reſpondendo, aut alijs ſimilibus laboribus, diſciplinis, uel artibus. Non enim æquè iuſta eſt, aut laudabilis hæc utilitas, ut quæ ſit ſecundum artem, atq; illa, quæ ex agrorũ, aut poſſeſsionum cultu proficiſcitur, quoniam naturalis eſt. Per cauponariam intelligimus curam, & utilitatem, quæ uendendo, & reuendendo ſuſcipitur. Nam & hic rei familiaris augendæ modus eſt non ſecundum naturam, quæ magis officiorum, aut rerum commutatione, quàm uenditione delectatur. Per bellicam curam intelligimus utilitatem, quæ ſuſcipitur ex bello. Nam & hæc rei domeſticæ augmentatio, uel utilitas eſt non ſecundum naturam, tum quia ſuſcipitur ab inuitis, tum quia natura bellum inter homines ipſos deteſtatur. Vnde qui ex bello domeſticam rem amplificant, non æquè ſunt laudab

laudabiles, atque qui ex agricultura: eoq; minus, quo bellum est iniustum.

Quod si antè dicti rei domesticæ augendæ modi sint non secundum naturam, & consequenter non admodum, aut non æquè laudabiles atque ij, qui ex agricultura sunt, quanto minus laudabile contraq; naturam esse putabimus rem domesticam augere ludis, fœnerationibus, usuris, proditionibus, latrocinijs, mœchationibus, adulterijs, scortationibus, lenocinijs, stupris, dolis, fraudibus, deceptionibus? hæc nimirum nulla quidem lege, neque canonica, neque ciuili, neque naturali laudabilia censenda sunt.

Adhuc autem &c.

Confirmat curam, quæ circa agriculturam suscipitur, atque emolumentum inde proueniens esse naturalia hoc modo. Naturaliter omnis mater appetit nutrire, & alere filios, & filij naturaliter matrem colunt: terrra uerò hominibus est mater: nihil itaq; mirum, si homines, ut filios, alere appetit, & hi, ut filij, matrem colunt. Quòd autem terra sit magna hominibus mater, Themidis oraculo cōfirmatur, cuius uerba sunt hæc ad Deucalionem & Pyrrham,

Ossaq; post tergum magnæ iactate parentis.

Quod quidem oraculi responsum Deucalion interpretatus est his uerbis,

Magna parens terra est: lapides in corpore terræ
Ossa reor dici, iacere os post terga iubemur.

Refert Ouidius in 1. Metamor. & Vergilius in 3. Aeneid.

Dardanidæ, quæ uos à stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem uos ubere læto
Accipiet reduces: antiquam exquirite matrem.

Prodest etiam hæc plurimum &c.

Præter fructum, quem ex agrorum cultu percipimus, alteram

alteram utilitatem ex illis consequimur: fortiores enim, ac robustiores ex agricultura euadimus. Nã agricolæ laboribus assuefiunt, duriter uitam agunt, famem, sitim, frigus, & æstũ sufferunt, sub dio in humido, & sicco dormiunt: breuiter nulli assuescunt molliciei. Ex quo ad rempub. promptiores aut tutandã, aut amplificandam esse apparent. Sunt, qui aduersus hostes cùm labores tum pericula capessant, paratiores sunt qui primos hostium impetus, uel sufferant uiriliter, uel retundant animose. Neq; enim in agricultura est, ut in cæteris artibus, quales tonstrinam, argentariam, cupedinariam, lanariam, calceolariam aut similes, quas exercemus sedẽtes, dicimus. Nam hæ corpus eneruant, & pigrefaciunt, ad bellumq́; gerendum tales artifices, ut pigrescentes, minusq́; frigori, & æstui, sicco, & humido assuefacti, non sunt ex æquò agricolis habiles, uidẽturq́; illis pauidiores, ut qui intra muros sedentes, in munitione, in præsidio, intraq́; uallos uitam degunt, & in molli, plumarioq́; cubili, atque in delicijs decumbunt. Illi autem suas possessiones extra munitiones, præsidia, muros & uallos habent, tutanturq́; ipsi & sibi ipsis sunt munitiones, præsidia, muri, & ualli.

Quocirca illorum tum uita, tum utilitas magis secundũ naturã apparet: quandoquidẽ hæc neq; muros, neq; cõdensatos, aut geminatos parietes, neq; uallos, neq; munitiones, bõbardas, colubrinas, arcus, ballistas, arietes, fundas, spicula, sagittas, lanceas, loricas, galeas, cassides, aut aliud id genus armorũ cõsiderauit. At sine talibus hominẽ sufficienter armatũ producit: armatũ, inquã, manibus, pedibus, unguibus, dẽtibus, ac lingua. Deniq; quæcũq; ad ipsius hominis tuitionẽ, aut cõseruationẽ necessaria esse apparẽt, ad sufficientiã usq; suppeditauit abũdè. Quæ quidẽ natura, nisi labefactata essent principia, ita hominẽ protegeret, ut neq; hastis, neq; umbonibus,

ullo'ue armorũ genere foret opus. Sed hîc tandẽ finem huic capiti uolentes imponere, nobiscum exportemus imprimis domum ex homine & possesione constare: quibus duabus partibus nos tertiã addidimus, quæ Bona uita est, & cõcors.

AD III. CAPVT.

CApite præcedenti, ex Aristotelis sententia, duabus partibus domus constitutis, homine & possesione, quibus tertiam, quod bene, tum in cõcordia uiuere diximus, addidimus: atq; singulas quatenus operæpretium duximus, factumq; necessarium fuit, elucidauimus: quoniam sub hominis appellatione uxorem comprehendendam existimauimus, ita uerò tamen, ut maritum dominantem eius esse uoluerimus. In hoc capite, quia certũ est in uiro multas diligentias, multasq; solicitudines necessarias esse, determinatur primã esse oportere circa uxorem, hoc est, ut diximus, qualis ducenda sit, perspiciatur. Est enim ad cõstituendam domum ducenda. Sed tamen nequaquã indifferenter. Et cùm duxerimus, circa eã omnium nostrarum solicitudinum prima cura uersetur. Quòd autem ducenda sit uxor ab ipsis brutis ostendit: quæ inter se masculus fœminam, & hæc masculum appetit: qui appetitus quidam inter ipsa mutuus est societas, uel coniunctio secundũ naturã. Nam ut clarum, suppositumq́; est, inquit, alijs in locis, unumquodq; naturaliter desiderat tale, quale ipsum est, efficere, si non numero, saltem specie: id quod neutrum sine altero facere ualet. Breuiter ex tali uiri & uxoris coniunctione tres utilitates procedunt, tria'ue maximè imprimis cõmoda proficiscuntur. Primum est, similium, si non numero, saltem specie procreatio. Secundum, quæ commoda facti decrepiti ex filijs procreatis, educatis, & alitis percipimus. Tertium, humani generis sempiternitas, & quodam circuitu adimpletio. Nam ex tali, ut plurimum coniunctione procreantur, qui

hominis

hominis speciem, uel genus quodam gradu perpetuabunt, & infinitè perennabunt. Addamus si libet quartum, mutua officia, mutuasq; subuentiones. Quintum quoq; potest esse: quòd tali coniunctione dominũ Deum nostrum, atque ipsam naturam uel rempub. minus offendimus. Omnis enim, præter coniugalem, concubitus non tantum ex tum ueteris, tum noui testamenti, sed etiam philosophorum, eorundem ethnicorum doctrina, & determinatione reprobandus est.

Vtriusq; uerò, mariti & uxoris, circa rem familiarem augendam munia, uel officia distincta sunt, differentiáq;: quandoquidem uxoris intus manere, remq; importatam conseruare interest: huius, atque illius signum esse uidetur, quòd facta est imbecillior uiro, & uiribus impotentior, magisq; tenax & auara. Mariti autẽ refert pugnacem esse, bellicosum: peragrare, foris peruagari, intrò ferre, non desidem esse, non ad prunas commorari, deniq; non ad uxoris mammillas natum, uel uxorium esse. Liberorum uerò creandorum cura cõmunis est, at utilitas procreatis ab utroq; proueniẽs utriusq; propria cernitur. Nam ad uxorem spectat, inquit, enutritio, ad uirum autem eruditio, uel institutio. Sed particulatim, textu perlecto, adnotemus.

Earum quæ ad homines &c.

Prima ergo solicitudo, primáue diligentia sit circa ducendam uxorem, ut imprimis talis sit, qualẽ ad liberos procreãdos expetimus, de quo superius dictum est. Postea quàm autem duxerimus, circa eam, ad rem domesticam augendã, instituendam moderatè, & sensim, benigneq; uersemur: ut nostra institutione eius animus, & uoluntas nostræ consona, uel conformis reddatur. Nam tametsi totas dies, totasq; sine intermißione noctes rem domesticam augere maritus intenderit, nisi consonam uxorem sortitus fuerit, aut talem effecerit,

nequicquam laborat, nequicquam agit, ac nequicquam cogitat. Quod enim illius importabit prudentia, prouidentia, solertia, & diligentia, huius imprudentia, temeritas, hebetudo, ignauia, inertia, pigritia, salacitas, uel procacitas exportabit. Quod ille congregabit, hæc disgregabit. Inquirat itaq;, summoq; procuret opere, ut uxorem respondentem aut efficiat, aut talem effectam inueniat: non superbam, non elatam, non genere, ut ex Ioue uel Marte tumescentem, non magna ut regia, dote inflatam (malo enim Venusinam, quàm te Cornelia mater Gracchorum) nõ ceruicosam, non somnolentam, non temulentam, non torpescentem: sed uigilem, humilem, benignam, consentientem, cùm corpore tum animo uiuidam, oculatam: deniq; fœcundis & bonis parentibus, tametsi pauperibus uel ignobilibus, natam.

Societas enim est maximè &c.

In 7. de legi.

l j. §. fina. de iust & iur. et Instit. de iur. nat. gẽ. & ci.

Talis enim, inquit, societas, uiri scilicet & fœminæ, maximè secundum naturam est. Proinde quod Plato ait huc transferamus, cuius uerba sunt hæc: [a] *Quòd mares maribus, aut fœminæ fœminis commisceantur, præter naturam est talis coniunctio, aut uoluptas: & qui primi tale facinus ausi sunt, uoluptatis incontinentia id fecerunt. Suppositum ergo est, ait Aristoteles, in alijs locis unumquodq;, quale quod est, tale efficere: ut in animalibus brutis etiam manifestum cernitur, quæ similium procreandorũ summo tenentur desiderio, summaq; cupiditate mouentur, huiusq; procreandi iuris peritia Vlpiani, & Iustiniani sentẽtia* [b] *censetur. Hinc ergo consequi apparet, si quæ sint huiusce iuris procreandi peritiæ carentia, ea non esse simpliciter, aut non censeri animalia. Nã tunc animalia, ut uiros aut homines esse diximus, cum prolem genuerint similem. Procreare autem simile neuter neq; uir neque*

que fœmina ſine altero poteſt. Eorum igitur ſocietas ex neceßitate conſtituta eſt.

Enimuero in cæteris.

Differenter tamẽ talis ſocietas in hominibus conſtituta eſt, atq; in brutis. Nam brutorum quædã duntaxat ad procreandum mouentur, quatenus ſunt naturæ capacia, qualia ſunt animantia fera, ut leones, urſi, canes, & ſimilia, quæ ſolo naturæ impetu ad talem ſocietatem procreandi cauſa impelluntur: huiuſce autem rei ſignum eſſe apparet, quoniam à coitu nec maſculus fœminæ, nec hæc illius cura ſaucia eſt, nec morem gerẽs: quinimò utrunq; alterum calcitrare, mordereq́;, manifeſtum eſt. Id quod imprimis animaduertimus in fœmella, quæ fœtuoſa facta maſculum expellit: hic uerò pullis non incubat, nec fouet magis quàm non ſuos. Quædam nõ ſolùm procreandi cauſa talem contrahunt ſocietatem, uerumetiam ut inter ſe mutua ferant auxilia, cuiuſmodi ſunt turtures, & columbæ, quarum quidem animantium tanta eſt pudicitia, tamq́; eximia inter ipſas fides, ut neutri ſint adulteria cognita. Coniugium non uiolant, communem alternis uicibus ſeruant domum, communibus ouis incubant, communibus adiacent pullis, fouentq́; communiter, communiter alunt, fabas, piſa, legumina, grana, & glandes, ac potum in illorum guttur quadam ui naturæ immittunt: & grandeſcẽtes inſtituunt ſenſim ad uolatum, excitãtq́; roſtro, ac demum nido, & columbario, ac columine ad quærendum uictum expellunt. Tum illæ uiduæ factæ ſolæ uolant, nitidas undas non guſtant, nec uiridi aßident frondi: inter has cõmunis interdũ querela, ut ira uideatur amantiũ, cõmunes roſtrorum ictus, mox cõmunis in ſatisfactionẽ exoſculatio, cõmunis ſalacitas, cõmunis alarũ exagitatio, ut cõgeſtiẽtes, uicißimq́; applaudẽtes, ue-

niã supplices uideantur postulare. Huiusce autẽ rei quũ Plinium mentionem facere legissemus, reipsa obseruãtes, ita esse animaduertimus. Hirũdines uerò prætereo, & reliqua uolatilium genera, quæ talibus nihil, aut non admodum differentia pro magna parte uidentur. his tamẽ accedat quòd hirundines excæcatis pullis mederi chelidonia traduntur, domoq; ad uolatum primum institutos eijciunt, ut uictum inquirant, uenenturq́;.

Maximéq; id &c.

Homines quoq; (nedum turtures, aut columbæ) inter se coniunguntur, non solùm procreandi causa, uel ut sint, putà, uir tantum maritus, & fœmina tantum uxor, sed ut sint benè, uicißimq́; boni, utiles, atq; officiosi: hoc est, ut maritus sit uxori bonus, utilis, officiosus, atq; in tempore seruiat, seq́; factum uxorem putet, qualemq́; factus uxor maritum expeteret, talem se uxori præstet, exhibeatq́;. Neque enim mihi ulla placent ratione: qui suas uxores seruas, aut captiuas coniugio factas esse opinantur, illis perinde, atq; asinis, uel pecoribus Arcadicis, ad quemlibet laborem utentes, ac nonnunquã in illas opprobrijs, cõuicijs, tum uerbo tum re factis iniurijs sæuientes, ut illas etiam pudicißimas, fœcundißimas, reiq́; domesticæ prouidentißimas, maximæq; benignas haud secus quàm quodcũq; durißimum saxum uiminibus, loris, flagris, fustibus, & bonis aut magnis pessulis cõtundant, ut tales nõ maritos, aut uiros, sed plagiarias bestias diceres. Vxor quoque sit uicißim bona, utilis, & officiosa marito. Breuiter inter se officijs in tempore certent, mutuaq́; se adiuuent ope, mutuo auxilio, mutuoq́; labore, & studio rem domesticam augeant, & filios procreent: non tantum ut procreantes naturæ satisfaciãt, uerumetiam, ut ex procreatis uiris factis ipsi decrepiti & imbecilles auxilia percipiant. Validi enim parentes

rentes filios alunt imbecilles, facti autem demum imbecilles, à ualentibus filijs eadem, qualia contulerunt, officia referant, naturæ conuenit, ut imprimis consentaneum, iubetq; ratio. Vnde nequaquam expectandum uxorem ducere, dum consenuerimus, uel senescamus. De annis uerò posterius determinabimus.

Simul autem &c.

Tertia ex Aristotelis sententia utilitas, quæ ex tali societate emanat, est: quia homo per eiuscemodi coniunctionem sempiternus efficitur, si non numero, saltem specie. Quid autem sit hominem specie, non numero, sempiternum efficere, hoc modo declarandum opinor. Is diceretur hominem numero facere, qui hunc, aut illum hominem generaret, putà Platonem, uel Socratem: sed nemo ita potest, quia incertum est, quisnam, qualis aut quantus procreabitur: ergo hominem numero efficit nemo, sed specie: una enim specie omnes homines sumus: secundũ quam nec homo albus est magis homo, quàm niger, nec magnus quàm paruus, nec rectus quàm incuruus, nec planus quàm strumam uel gibbum habens, nec nobilis quàm ignobilis, nec ciuis quàm rusticus, nec diues quàm inops, nec doctus quàm indoctus, nec masculus quàm fœmina, nec Plato quàm Socrates, & contrà. Nam si possemus numero, ut hunc, aut illum procreare, omnes hunc regem, illum Imperatorem, uel pontificem, hunc Platonem, illum Socratem, hũc Samsonem, illum Herculem, hunc Salomonẽ, illum Catonem generaremus. Sed hoc nemo potest, quia non numero, sed specie generamus. Itaq; inquit, utriusq; uiri & uxoris natura quadam diuina prouidentia ordinata est, ut quidnam generaturi sint masculum an fœmellam, ignorent.

Assumpta enim &c.

Assumpta, inquit, est causa coniunctionis, sed tamen talis

est causa, ut non utilem uirtutem ad eadem omnia habeat. Quædam enim contraria sunt, tametsi unus & idem finis proficiscatur, unde contrarijs ex rebus, aut substantijs, uel accidentibus unus finis, ut effectus, procedit. Nam maritus & uxor quædam contraria esse apparent, alter enim robustus, fortis, bellicosus, pugnax, minimeq; auarus: altera imbecilla, timida, imbellis, & auara est. Ex illis tamen quantumlibet contrarijs, unus finis, idemq; effectus exoritur, putà rei familiaris, & domesticæ augmentatio, & amplificatio. Maritus autem foris est sedulus, uxor intus sedulitatem agit. Maritus ad quietem deterior, & ad motum ualentior. Vxor secus, magis enim quieta, & ad motum est tardior, intraq; limen continens rem agit domesticam. Enimuerò quantum ad prolem attinet: generatio communis est, et utriusq; necessarius idem congressus: ab utroque tamen eadem neutiquam est utilitas, sed utriusq; propria. Nam à matre lactatio et nutritio est, à patre uerò eruditio & institutio. Breuiter ex Aristotelis sententia distincta sunt mariti & uxoris munera.

Platonici autem à Peripateticis quodam uidentur modo dissentire. Platonis enim sunt hæc, [a] Mulieres multæ multis uiris ad multa præstantiores. Nullum igitur est inter eos, qui ciuitatem curant, officium mulieris proprium, qua mulier est: aut uiri proprium, qua uir: sed æquè dispersæ in animantibus utrisq; naturæ, & omnium quidem operum natura compos est fœmina, omnium & uir est compos. In omnibus autem imbecillior est fœmina. Hæc sunt Platonis, quæ uidentur pugnare cum Aristotelis traditionibus, uolentis inter uirum & uxorem distincta esse officia. Vult itaque Plato in Repub. nullum omnino ad uirum munus spectare, quatenus uir est, aut homo, sed quatenus uult, scit, & potest, nullumq; ad fœminam quatenus fœmina, sed quatenus uult, scit, et potest.

[a] In 5. de repub.

test. Nam si in repub. quibusq; decernerentur officia, uel magistratus quatenus homines sunt, sequeretur in doctis, ignauis, inertibus, alioqui imbellibus, perfidis, insidiatoribus publici ærarij expilatoribus, & cæteris id genus hominibus decernendos esse: homines enim sunt, & forsitan bene mentulati, quales esse aiunt, ut plurimum mente captos, & stolidos, quibus tamen in ciuitate officia nequaquam deferuntur.

Eodem argumento nullum officium est fœminæ proprium, quatenus est fœmina. Nam si in Repub. obstetricandi officium, uel uirgunculas instituendi, contexendi, acu'ue pingendi, aut aliàs quæ ad comptum, aut mundum muliebrem spectant agendi munus fœminæ, quatenus mulier est, deferretur: hinc consequi appareret scortis, meretricibus, prostibulis, lupis, & cæteris comparibus impudicis mulieribus, talia munera deferenda esse. Cui equidem Platonicæ sententiæ (ut saltem hîc aliquid in mulierum gratiam, sed ueritatis magis, dicam) adstipulor, adeo, ut nonnunquam præstare censeam rebuspublicis gubernandis, uel militaribus negotijs gerendis, ut exercitibus in hostes ducendis, animandis, castris tendendis, uallis circumponendis, aut mœnibus obsidendis, arietandis, & expugnandis, funditusq; delendis nonnullas præficere mulieres, quales Amazones legimus, quàm uiros etiam fortasse quoslibet, non autem ea ratione qua mulieres sunt, sed quia uolunt, possunt, & sciunt. Ita mihi de re dicendum domestica ex Platonis sententia esse uidetur: in qua non debent distincta esse mariti & uxoris officia, sed uterq; rem familiarem augendam sine discrimine, sineq; officiorum delectu procurent: atque uter maturiori opera, magisq; festinanter amplificauerit, uicißim decertent. Quandoquidem si ex Ari-

D 4 stotelis

ſtotelis ſententia, ſua cuiuſq; propria utriq; addicãtur munera, ut quæ intus geruntur, ea ad ſolam uxorem ſpectent, illorum'ue curam maritus nullam omnino habeat: & quæ foris ſunt, ad maritum duntaxat pertineant, neq; illorum uxor ſit ſolicita, nonnunquam eueniet non tantum rei domeſticæ augmentatio nulla, ſed etiam plurima, & inſignis diminutio. Quocirca hîc Platonis libentius quàm Ariſtotelis in ſententiam eundum eſſe opinor.

Vlpianus autem noſter Iuriſconſultus, ut uxoris forſitan, ita mulierum uniuerſarum exoſor, illis ſine diſcrimine omnibus officijs ciuilibus, uel publicis interdixit[a]*: ut nec iudices eſſe poßint, nec magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio interuenire, nec procuratrices exiſtere. Quam iuriſconſulti ſententiam, niſi ſequuta eſſet Imperatoriæ maieſtatis confirmatio, ut non ſimpliciter rationi conſentaneam, plurimis quidem argumentis, ijſdem uerißimis, & inuictis exterminandam eſſe concluderem. Nam quoſdam homines in magiſtratibus conſtitutos animaduertimus, quibus longè prudentius, atq; utilius tum reipub. tum catholicæ eccleſiæ, gerendis, mulieres etiam fortaſſe quælibet, eſſent præfectæ. Huiuſcemodi enim homines in magiſtratibus conſtituti, ut forſitan iuuenes, uel generis, uel rei potentia, & faſtu ſuperbientes, pigreſcentes, luxuriãtes, ignari deniq;, nihil iuxtà neſciũt atque ſeipſos regere, ſibijpſis dominari, uel imperare: ut qui habeant intus, foueantq; ſæuiores dominos, faſtum, ſuperbiã, luxuriam, ignauiam, torporem, auaritiam, ignorantiam, & intemperantiam: quibus ſic dominantibus ſe propenſos, & obſequioſos omnino dedunt, ac detorqueri, & laniari permittunt. Sed de his ſatis.*

[a] *ij. de regu. iur.*

Conſtet itaq; ex antè dictis, maximè Platonis ſententia, neq; in domo, neque in repub. officia hominibus, uel mulieribus

ribus decernenda esse, quatenus masculi sunt, uel fœmellæ, sed quà uolunt, sciũt, & possunt, sunt'ue ad rem gerendã idonei.

Quantum uerò ad nutriendos liberos interest, quorum nutritionem ad matrem spectare diximus, Accursius nostrarum legum glossator, cæteriq; legum tum interpretes, tum de illis respondentes, lactandi, & nutriendi tempus in fœmina triẽnio determinare uidentur:[a] *atq; ne id quidem simpliciter, at distinguunt, sit'ne magno genere mater nata, sit'ne eximiè dotata: hicq; matrem à lactatione, & nutritione excusatam opinantur: quorum quantumlibet doctorum opinione (mea quidem sententia) Quintiliani responsio, uel hac de re determinatio, tum prudentior, tum ad Rempublic. fidelius gubernandam prospicientior, ac magis sapiens censenda est. Hic enim definit matrem quamlibet, ad prolem suam lactandam, primis'ue annis nutriendam, uel ipsa natura deuinctam esse, contraq; naturam fieri matrem quod producit non alere. Nam & quodcunque ferale animal fœmellum partum lactat, fouet, enutrit, de loco minus commodo, aut magis periculoso in commodiorem & tutiorem trãsfert: ore, uel humeris, subter'ue latera aut defert, ut canis & felis, ursa, & simia: aut agit, ducit'ue, ut lupa, capra, equa, asella, & similia id genus animãtia. Et tamen nostri legum doctores iuris naturalis segnes (ne dicam imperiti) animaduersores una uoce determinant, nostras uxores, quatenus sunt bene dotatæ aut genere scilicet nobili, aut nummis ingentibus, à proprijs ipsarum lactandis, & enutriendis fœtibus, naturali obligatione solutas esse. Quorum determinationi nostræ scitæ, alioqui politæ, cerussatæ, & perfucatæ uxores, nostriq; uxorij mariti unanimes, ac communi inter ipsos uoto assentiuntur, & applaudunt, adeo, ut cuilibet fœminæ, alioqui ex lupanari loco accitæ, suam desideratam,*

a *In l. nec filiũ. C. de patr. po.*

ac tandem natam prolem lactandam, & enutriendam committunt, deduntq́; tum & lallare, & sermocinari talibus, ut picis, & garrulis lupis eruditam, atque institutam esse uolunt & permittunt. Hinc admiramur, si tot inde consequantur stupra, incestus, si tot adulteria, si ita nostri liberi lactati, enutriti, instituti, uel tali stercorati fimo tum animi, tum corporis imbecilles euadant. Nam quæ secundum naturam nobis ad uirtutem innascuntur semina, largeq́; tum gratis, à domino Deo nostro data fuerunt, illa lupanari, uel adulterino lacte, inanibus, lasciuis, tum lupanaribus uerbis labefactari permittimus.

Dicant mihi obsecro nostri uxorij mariti, molles & perfucatæ mulieres, si œconomus, uel rusticus, uel urbanus oleaginum uirgultũ ex olea quantumuis fœcunda, terrá'ue feraci, in terram aridam, & non naturalem transplantauerit, & præter naturam coluerit, quantumuis radices egerit, nonne & uirgultum, quanlibet natura fœcundum, oleastri fient? nonne fructus, ramíq; oleastrini? an non oleum oleastrinum & illegitimum?

Si ouillus fœtus, uel agnellus suillo enutriatur lacte, annon se prouoluet in lutum? lutabitur? ac pene lutescet? Si capram lactauerit, annon asperrima quæque, ac maximè salebrosa loca conscendet? Si caninum lac suxerit, annon grandis factus ceuebit crissabit'ue? Si catulus quilibet, uel domesticus à leæna lactatus fuerit, annon ferociet? rugietq́;?

Et nos si nostros infantulos lupis lactandos commiserimus, annon lupabuntur? syluestresq́;, & inciuiles fient? Non equidem uideo quo tandem argumento nostri de iure respõsores: quá'ue ratione suam tutentur sententiam, matres'ue quantaslibet à proprio partu, uel lactando, uel educando solutas esse testentur: nisi à nostris uillaticis forsitan gallinis

argument

argumententur, quas rusticarum, aphricanarum, pauonum, anserum, anatum, perdicum, columborum, breuiter omni uolatilium ouorũ generi incubare, pullosq; fouere facilè ratiocinantur. Cedò, sed interim suis incubant, quin sua esse coniiciunt, utque suos, ouorum tegillis rostro leniter, & sensim effractis, educunt, fouentq;, ac pipientes suo co co co co co adgregant.

Nostræ uerò permolles, perq; fucatæ uxores, nec suos nec alienos natos fouent: sed perinde ac si matres non essent, lupis, iisdem interdum remotißimis exponunt. Hoc modo labefactantur principia: quibus ita dispositis quicquid superponitur, aut actutum corruit, aut non constat, uel permanet. hinc illegitimi fiunt domestici liberi, bonorum patris fures clandestini ac forsan sororum secundum genituram constupratores: hinc perfidi, & iniqui adulteri in Repub. ciues oriuntur: hinc in repub. uel in domini Dei ecclesia iniquiores, perfidiores, & scortantes uel luxuriãtes magistratus præficiuntur: hinc breuiter omne malum domesticũ, politicum, atque ecclesiasticum proficisci putamus. Et nostri uxorij mariti cuiusdam coniugalis forsitan pulchritudinis, & formæ luxatam superficiem, arescentem, & marcescentem, fluxam, & temporariam, citoq; labentem uoluptatem bono tum domestico, tum communi, æternoq;, ut ecclesiastico, & cœlesti, uel diuino anteponunt.

Refugiunt fortasse nouæ, imprimisq; desideratæ sobolis uagitus, & eiulatus, atq; interim ipsis filijs quæstiones, tormenta, flagellationes, fustigationes, membrorũ mutilationes, detruncationes, & sibi proprias, & nõnunquã tum sibi, tum grandescenti soboli intẽpestiuas mortes, ac sempiternã gehẽnam, talibus non auditis, uel admißis uagitibus rediment & comparant. Sed de his satis. Constet autem labefactatis

principijs

principijs deterrima quæq; procedere. Hinc fit, quòd omnia perperam succedunt, ac perperã aguntur, cùm in domo, tum in Republica.

AD IIII. CAPVT.

QVoniam dictum est antea in re domestica, primam curam uiri esse debere circa uxorem, tum ducendã, tum iam ductam: in hoc capite aßignantur ea, in quibus mariti ad iam ductam uxorem cura uersari debet: ponunturúe leges quibus ille se deuinctum uxori conuenit agnoscere, decetq;: atque ut augeatur, constetúe domus, oportet. Prima ergo lex sit, Maritus uxori non iniurius esto: ne uicißim quod fecerit, quantumq́;, idem, ac tantum specie referat. Fit autẽ maxima uxori per uirũ iniuria, si cum altera, quæ non sit uxor, congrediatur: si uxori pellicem anteponat, uel thalamo recipiat, aut coniungat. Aegisthi enim uerba sunt hæc,

Seneca in Agamẽnone

Vltimum est nuptæ malum,
Palàm mariti poßidens pellex domum.
Nec regna socium ferre, nec tedæ sciunt.

Ex quo ne iniuria quidem incandescens Iuno Iambico uersu de Ioue apud Senecam queritur,

Idem in Hercule furente

Soror Tonantis (hoc enim solum mihi
Nomen relictum est,) semper alienum Iouem,
Ac templa summi uidua deserui ætheris,
Locumq́; cœlo pulsa pellicibus dedi.
Tellus colenda, pellices cœlum tenent.
Hinc Arctos &c.

Hoc ergo lex habet communis, ut temperandum sit ab iniuria uxori facienda: perinde (inquit Aristoteles) atque secundum Pythagoricos temperandum est à serua, uel seruo uerberando, abducendoq́;, qui ad Larem tanquam præstitu-

tum

tum asylum confugerit: de quo quidem asylo neutrum, quantumuis reum, licebat educere. Hanc autem primam in coniugio mariti legem reuera non tantum in iam ducta uxore animaduertendam esse opinor, sed etiam in ducenda: ut quales uxores pudicas, integras, & inuiolatas ducere expetimus, tales nos maritos pudicos, integros, & inuiolatos conseruemus. Ita nanq; fiet, ut qui tali ex coniugio procreabuntur liberi, sint illi tum secundum corpus robustiores, tum ingeniosi magis, atque acutiores, suorumq; progenitorum amantiores futuri. Addamus, qualesnam parentes extiterint, tales erunt filij: ac Respub. liberis tandem, & ijs quidem legitimis omnibus replebitur hominibus. Praeterea domini Dei nostri lex tum canonica, uel ciuilis nulla ex parte uidebitur esse contempta. Sed quonam, obsecro, modo fiet, ut qui lasciuè, tum procaciter uixerit, pudicam uxorem uel continentes liberos consequatur?

Dicant mihi nostri adulescentes lasciui, petulci, et qui hic, atque illic impudicè, uel in horas procantur: si quam tandem uxorem ducunt, illam praescirent impudicè uixisse, quantumlibet pulchram, aut bene dotatam (si quid habent ingenij, aut honoris) num ducerent? Et tamen impudici pudicam expetunt: qui egerunt inuerecundè, uerecundam uxorem flagitant. Nihil igitur mirum si labefactatis matrimonij principijs, labefactatis legibus, quicquid superponitur, quicquid generatur non constat sed corruit, & adulterum est. Praecaueant itaque, desinantq; à procando, & quales uxores expetunt pudicas, tales se inuiolatos praeseruent.

Secunda lex seu cura circa uxorem iam ductam sit, ut talem se erga illam praesens exhibeat, ut uterque alterum absentem, hoc est, ut maritus uxorem, & uxor maritum ferre poßit. Hoc autem fiet, si cum modestia, & mensura cum

uxore congrediatur. Non enim omni hora, non omni die, nõ omni nocte, nec forsitan omni mense cõgrediendum est. Nam ex frequentatis congreßionibus, ex immoderata, & nimia salacitate plurima proficiscũtur incommoda. Imprimis utriusque & uiri & uxoris infœcunditas, uel sterilitas. Quamlibet enim feraces, quamlibet fœcundi sint coniuges, ex immodesta salacitate, aut intemperato congressu, esse feraces desinũt, fiuntq; infœcundi. Signum sit à rustico prædio, quoniam quãtumlibet ferax, aut lætũ, uel præpingue sit, si quis unam in illud hodie sementem sparserit, cras alterã, perendie aliam, & succeßiuè item aliã, atq; aliam, sequitur breui horrei quamlibet pleni euacuatio, & fundi quantumuis fœcundi sterilitas, ut nihil omnino ex tali semine generetur, aut lolium, uel zizania est, uel nihil prorsus. Nam aliud (quod aiũt) ne aliud germinet deturbat, & impedimento est.

Secundum incommodum est, si abs tali frequentato congressu maritus destiterit, actutum in suspitionem uehementem uxor ducitur, ne cum alia uir congrediatur: ex quo innascuntur zelotypiæ, iurgia, rixæ conuicia, exprobrationes, odia, uerbera, & cætera id genus cum mariti uicinis mulieribus aut commatribus, & innocuis quidem, ac nõnunquam cum ipso marito, adeo ut interdum mors impendat marito, pelliciq; etiam ex suspicione ab ipsa uxore. Prudenter itaque congrediatur cum uxore.

Tertium incommodum, si qui forsitan ex talibus frequẽtatis cõgreßionibus masculi siue fœminæ generentur, nascuntur debiles, molles, effœminati, elumbes, modicæq; uitæ, aut ad uicißim ordine naturæ generandum impotentes.

Quartum, si frequentatis congreßibus uxorem maritus assuefecerit, aut se illis dederit, utriusque ab altero absentis incontinentia & intemperantia uel altero ægrotante, aut

te, aut menſtruata uxore, uel puerperio iacente, procedit, adeò ut marito, uel peregrè, uel nō longe profecto aut ægrotante, uxor uiticolam, mulionem, opilionem, & bonum paſtorem, aut Gilonem, aut bene mentulatum uicinum actutum accerſiri mandat, atque ipſa, ſi deſint ancillæ, accerſit, & magna nonnunquam à marito ſubtracta pecunia redimit. Maritus autem abſentem uxorem, aut menſtruatam, uel nuper, uel iam enixam puerperam non ferre potens, in quodlibet ſcortum, uel proſtibulum ſe præcipitat, & in lutum prouoluit, cum maximo tum corporis tum animæ periculo, ac detrimento. Accedit quòd uxor ita libidinoſa effecta impotenti tandem marito mortem cupit, ac precatur, tum enecans quandoque potentem ſuperduxit, aut primum torum primamq́; prolem ex adultero aut non marito liberis contaminat: talium nimirum prima cauſa maritus eſt.

Quintum: Ex tali immoderata ſalacitate, aut intemperato coitu, utriuſque coëuntis uitæ longitudo corripitur, mirumq́; in modum abbreuiatur: manifeſtum eſt argumentum à paſſeribus, quorum uita (referente Plinio lib. 10. cap. 36.) unius, aut duorum ad ſummam, ob laſciuiam uel ſalacitatem annorum eſt. Addamus Salomonem idololatram immoderato tandem cōgreſſu, aut libidinis aſſiduitate factum eſſe, adeo ut idolis templum fabricauerit: qui prius magna quidem impenſa templum Deo conſtruxerat.[a] Hæc ſunt ergo incommoda, quæ ex immoderato coitu proficiſcuntur. Procuremus itaq; mariti, ita nobis uxores inſtituere, & nos uiciſſim illis tales efficere, ut uterque alterius & abſentiam, & præſentiam ferre poſſit. Non tamen eſt, quòd præſentes deeſſe uelimus, ſed cum illis modeſtus congreſſus fiat. Nam præter quod tum phyſicorum, tum medicorum ſententia ad corporis

a cap. Salomō. 22. quaſt. 4.

poris sanitatem conseruandam mulieris congressus non est reprobabilis, quot incommoda ex immoderato proficiscuntur, tot commoda ex moderato procedunt.

Primò enim conseruatur fœcunditas: nulla generatur discordia: qui nascũtur, illi fortiores ac robustiores, acutiores, tum uita longiores euadunt. Vterq;, maritus & uxor, alterum ægrotantem, uel absentem, expectare fortior est, dum aut conualuerit, aut redierit. Deniq; ipsi congredientes sunt quoq; uita longiores. Addamus, quòd non soluitur plus debito. Summa igitur est agendum cura, qua utriq; ab altero debitum persoluatur. Nam uterq; alterius debitor est, et creditor uterq;, adeo quòd non sui, sed alterius ex Apostoli sententia,[a] potestatem uterq; habet, uterq; non sui sit iuris, sed alterius: puta maritus uxoris, & uxor mariti.

[a] 1. ad Corint. 7. & 27. q. 2. cap. sunt qui.

Ad nobis ita uxorem instituendam ex Hesiodi sententia, puellam ducendam Aristoteles suadet: talem enim nobis gratis moribus facilè imbutam efficiemus. Quòd si annosam duxerimus, præter quòd non est flexilis, nec docilis, infœcunda erit. Si uiduam, aut ceruicosa futura est, aut prædefuncti uiri confictam salacitatem, ac forsitan eminentiorem mentulam nouo memorans marito exprobrabit. Sunt itaq; uirgines, tum puellæ ad ductionem magis accommodæ.

Tertia lex sit de ornatu, quem non permittet esse in uxore superbum, nec ipse superbè uestiatur: sed quales alterius uterq; superbos mores respuit, tales superbos uestitus uicissim despectos habeant: sed animorum simplicitatem, & constantiam uestimentorum synceritate, & mundicia indicent. Nam ex superbis, aut præter modum magnificis uestibus innumera excrescunt incommoda. Primò enim rei familiaris diminutio, qua succedente, sequitur aut uxoris, aut mariti adulteratio, sequitur uxoris aut mariti homicidium, ut ditiorem

uxorem

uxorem ducat, aut ditiori marito nubat, & similia.

Superbos autem uestitus appellamus, quales nostro tempore animaduertimus diuersicolores, uariegatos, amplos, caudatos, sinuosos, decisos, incisos, superfluos, magis ad pompam quàm ad mundum, aut necessitatem pertinẽtes: quorum tum impẽsa superflua, tum luxu reprobo, dij boni quot Christi pauperes masculi, ac fœmellæ uestirentur, quot impudicas partes, quas ipsa fecit abditas natura, occultarent, aut operirent. Ita de rebus tuis, ac bonis disponitur domine? Hanc ad luxum præterq; necessitatem uestiri, illam denudatam frigore rigere? Hanc superbis uestimẽtis meretricari, illã defectu, uel desiderio scortari, stuprũ, aut adulteriũ cõmittere permittis? occulta nobis est sapientia tua, & mirabilia iudicia. Sed horum tantorum malorum in maritum nimium uxorium est omnis transferenda culpa: præcaueant itaq; mariti obsecro, Christiq; pauperes quasi præsentes præ oculis iugiter habeant, nec se amplius talibus uestiant, aut uxores uestiri patiantur, sed quales simplices animos esse desiderant, talibus exornentur uestimentis. Nam si ab exterioribus interiora iudicentur, uariegata uestimenta uariegatam mentem, leuem, & inconstantem esse indicant. quod ex æquo in uiro & uxore imprimis refugiendum esse censendum est, ne tragœdi, uel comœdi, aut histriones in scena iudicentur. De superfluis autem uestibus euitandis, succurrat illud Matthæi 23. Quid enim est homo, pretiosis ornatus uestimentis, quàm sepulcrum dealbatum, intus spurcitia? Sed legamus textum,

Primum igitur &c.

Diuersitates enim morum &c.

Causam assignat, quare procurandum sit, ut nostras uxores gratis moribus imbuamus. Quoniam dissimiles mores

dißimiles amicitias, aut affectus generant, ut quod maritus amat, uxor nonnunquam odit, & contrà Hinc sequitur nonnunquam magnarum domorum euersio, & mortis maritorum plerunq; machinatio. Puellam itaq; malimus ducere nostris moribus dum est flexilis instituendam, ductamq; sine mora instituamus.

Nam mora dat uires, teneras mora perco-quit uuas,
Et ualidas segetes, quod fuit herba facit.

Vt Pythagorici &c.

Pythagoras Samius fuit philosophus, qui legem tulerat, ut quicunq; seruus aut serua ad larem confugeret, ille non abduceretur: sed sineretur in tuto, uelut in certo asylo. Lares autē sunt dij domestici altero nomine dicti Focarij, ut qui foco præsideant. De Laribus uerò perlongam fabulam recensent Bocatius[a] in Deorum genealogijs. Volunt Lares filios fuisse Mercurij et Laræ, itaq; Deos esse domesticos, ut quicūq; ad illos cōfugerent, tametsi nostri essent inimici, alioqui multorum facinorum rei, illos abs talibus dijs non licebat educere, sed sine iniuria ad illos manere impunes permittere oportebat. Ad Lares quoque confugere solebāt serui, uel seruæ, qui dominum offenderant, ne sæuiretur in illos: qui ita tuti erant, ut ne domini quidem ditionis tunc temporis esse dicerentur, sed sub Larium præsidio permanebant.

lib.12.cap.65.

Volebant nostri ueteres Iurisconsulti, statuam principis simili esse potentia & seruis præsidio, ut quicunq; ad illam confugerent serui, uel alij quilibet, tametsi noxij, essent in tuto. Refert Iustinianus[b] noster hac de re Aelium Martianum. Hinc ductum opinor, quod nostri pontificij uolunt, ut quicūque ad ecclesiam reus criminis confugerit, ille sit impunis.[c] Nulli enim ut nostri aiunt, claudit gremium, ecclesia.

Instit. de ijs qui sunt sui uel alie. iur. §. cuius rescripti.

ca. Inter alia. de immu. eccle. extra.

A D

AD V. CAPVT.

EXpositis tribus, quæ circa uxorem instituendam maritus animaduertere debet, ad domum uel augendam, uel conseruandã, ponũtur nũc ea, quæ animaduertẽda sunt circa secundam domus partem, quæ possessio est. Et quoniam possessionis nominis latissima est significatio, ut cuius appellatione comprehendantur uiuentia, & non uiuentia: item uiuentium rationalia, & irrationalia: primò agit de possessione rationalium. Tales autem rationales possessiones seruos dicimus. Peculiare igitur est in hoc capite, ut de seruis agatur, quos quidem optimam, & principalissimam possessionẽ esse constat. Rem ergo familiarem auctiorem reddere uolentis interest, ut ductæ uxoris uel ducendæ, qualem ducere oportet, aut expedit, prima sit cura. Secunda circa possessiones consistat. Hinc itaq; adnotandum existimo uxores possessionis appellatione non comprehendi, non magis quàm ipse uir est uxoris possessio.

Cessent hîc igitur imperiosi mariti, qui non consortes sibi factas uxores, sed ancillas & captiuas existimant. Distincta ergo est uxor à possessione, ut neq; à marito possideatur, neque maritum possideat. Duo enim sunt corpora, unus autem animus, unum uelle, una dominatio, perinde atque duo magistratus in municipio imperantes, qui tametsi sunt duo, Vlpiani tamen sententia, [a] unum efficiunt. Sed ad possessiones redeuntes primum quod procurandum est domino, sit, ut seruos studiosos quàm plurimos habeat: sunt enim optima possessio. Quanta uerò utilitas ex seruis studiosis proficiscatur, atque eo maximè, quo studiosiores sunt, est facile perspectu: laborant enim in rem domini continuò, fiunt institores, exercitores, fossores, messores, artifices, breuiter rei domini seduli procuratores, & actores. Eius enim

[a] l. Municipales. ad municip.

enim rem procurant uelut ſuam, acquirũt domino, illi neceſſarij hæredes fiunt, ad hæreditates alienas plerunq; transferunt, & per illos legata dominis acquiruntur. Deniq; optimorum ſeruorum optima eſt omnium poſſeßio. Proinde in hoc capite de ſeruis, ut omnium optima poſſeßione, ut quibus ante omnia dominica res uel augetur, uel conſeruatur, agendum eſt. Sequitur uerò textus.

Poſſeſsionum autem prima &c.

In hoc principio eſt quod annotemus ſeruorum poſſeßionem ad rem augendam omniũ eſſe optimam, maximeq; conuenientem. Præſtat enim plurimos ſeruos poßidere, quàm plurimos uel mulos, uel equos, uel boues, uel ſimilia irrationalium animantium genera. Præter enim quòd rationis ſunt participes, poſſunt, Imperatoris Pertinacis ſentẽtia[a] fieri hæredes domino neceſſarij : hoc eſt, qui uelint nolint ſunt hæredes : eorumq; nomine diſtrahitur hæreditas, ne ulla defuncto iniuria fiat, & ſatisfit creditoribus. Inſtituuntur quoque ab extraneo, & acquirunt domino. Bruta non inſtituuntur. Seruorum autem quidam ſunt uicarij, quidam ſunt opifices, & operarij. Illi operarijs præſunt, dominiq; perſonam repræſentant: Opifices uero ſunt, qui opera faciunt.

a l.j.C.de ſeruis hæredib.inſti.

Cum uerò cernamus &c.

Habita ſeruorum multitudine, cogitet dominus, ut illos inſtituat artibus, diſciplinis, aut operationibus ſuam ad rem augendam pertinentibus, ſicut in cæteris animantibus fieri animaduertimus: inſtituuntur enim omnia, ſed alia alio modo quàm alia, itáq;, ut ex ſingulis rem augeamus noſtram, & aliquam percipiamus utilitatem: ſin aliter, quodcunq;, quantumcunq;, uel qualecunq; animal ſit, poſſeßio non eſt. Verbi gratia, in equis, aut mulis, hunc tolutarium fieri cernimus,

istum ad quadrigas, uel ad rhedam componimus, illum ad aratrum, hunc ad molam rotundam, istum ad aquas educendas, illum ad portandum, uel uehendum, hunc ad cursum, ad uenationem, ad saltum, ad natandum instituimus. hunc ad conflictum, uel duellum animamus, & tuba excitamus, hunc admissarium deligimus, ad generandum destinamus, & similia. Ita de seruis agendum est, ut assuefiant laboribus, & euehantur in artes, uel disciplinas, quas quidem ad rem domesticam augēdam imprimis animaduertimus conducere. Multū *enim efficit singularis institutio, & munus peculiare.* Alios *igitur ad mechanicas artes, alios ad liberales instituamus: hos uiticolas, istos fœnisecas: illos olitores, hos agricultores: istos architectos, fabros ferrarios, tum lignarios, lanarios textores, exercitores, institores, hos Grammaticos, illos Musicos, symphoniacos, arithmeticos, hos ad uehendum, trahendum, ferendum, laborandum, parendum, præcipiēdum. Breuiter, hos uicarios, illos operarios instituamus: ut ad rem nostram domesticam tum augendam tum conseruandam reddantur quàm commodißimi. Qua in re peragenda in domino physionomiæ, aut physices cognitionem expeterem: ut ex cuiuslibet corporis habitudine, uel aspectu, naturā, & inclinationem ex horoscopo pernosceret.*

Cum seruis autem &c.

Institutis seruis, singulis tradendum est, & quasi numerandum ad tum ingenij, tum officij proportionem. Nam *liberalioribus honorem, opificibus uerò cibum abundè tribuere dominum conuenit, atq; honestum est. Sed tamen ita cū omnibus uersetur, ut neq; superbi fiant ex conuersatione, neque se abiectos, aut despectos esse cognoscant.* Nam *si permittantur superbire, sinistrū aliquod in rem domini, ac forsan in ipsum dominum molientur, quemadmodū plurimos analogisticè de*

nostris, qui tamen captiui non sunt, fecisse, atque facere animaduertimus, dominorum nimia familiaritate, ut nimia licentia, deteriores factos. Si uerò se abiectos, uel despectos intelligant, libertatem, ut laboris, uel fidelitatis mercedem desperantes, rem domini segnius agunt. hoc ergo in seruorum negotio dominum maximè prudentem esse uolo.

Et quoniam &c.

Honorem & cibum differenter seruis exhibendum conclusimus, potus autem idem singulis exhibeatur, non tamen ex uino, quandoquidem si liberos homines nonnunquam ad insolentiam impellit, quanto magis est seruos impulsurum? Cuius rei causa, ne scilicet uinum ad insolentiam impellat, pleriq; summi etiã ingenij homines, fortesq; abstemij fiunt: hoc est à uino abstinentes omnino, quales esse ait Aristoteles Carthaginenses, dum militant, quales quoq; esse ferunt, & legimus Turcas. Ex quo infert, nihil omnino uini, aut ualde admodum paucum tribuendum seruis.

De uini uerò proprietate, mihi sit iam satis, quod Anacharsis philosophus dicere solebat, Tres, inquiebat, botros fert uitis, unum uoluptatis, alterum ebrietatis, tertium molestiæ. Idem interrogatus num in Scythia essent tibiæ, respondit, Ne uites quidem: significans, ad tibias & saltationes ex uinolẽtia homines promoueri. Parcus ergo uini usus iucundus est, quia sitim sedat: largior temulentiam gignit: largißimus uerò rixas parit, morbos, ac cædes generat. Nostri quoque dicunt, prima uini cratera neceßitatis est, secunda uoluptatis, tertia ebrietatis, quarta permouet ad insaniam. Ex quo ueteres illi Romani fœminas omnino abstemias esse uolebant, ne forsitan uino ad maiorem insaniam excitarentur. Vinorum differentias plurimas Plinius meminit, quas breuitatis causa dimissas facimus, Constet autem ex Platonici

lib. 14. cap. 8. & 9.

in 1. de legib.

Ath

Athenienſis ſententia, ebrietatem ſenſum, memoriam, opinionem, atque intelligentiam extinguere: efficereq́;, ut non tantum ſenex, uerùm etiam iuuenis, & aduleſcens, bis puer fiat. Proinde ne iniuria quidem ſeruis uino interdicitur.

Tria uerò cùm ſint &c.

Ne ſerui ex cibis deteriores euadant, addit, & opus & caſtigationem iungendam illis. Tria itaq; ſunt à domino præſtanda ſeruis: Primum eſt cibus, Secundum opus, Tertium caſtigatio. quandoquidem cibus ſine opere, & caſtigatione, petulantem, & procacem ſeruum efficit: haud ſecus atque mulum, uel equum abundans auena, uel montanum, & aridum fœnum ſine labore, uel ſeſſore.

Opus uerò, & caſtigatio ſine cibo, uiolenta res eſt, ſeruũ extenuans, & infirmũ reddens. Vnde concludatur, hæc tria imprimis eſſe à dominis præſtanda ſeruo, cibum, & opus ſufficienter. Cùm enim nemo ſine mercede dominari debeat, dominum oportet in ſeruum pro mercede cibum ad ſufficientiam exhibere. Caſtigatio uerò eatenus eſt adhibenda, quatenus ſeruum tardum, ac ſegnem nouerimus: ut ad opus, & laborem compellamus.

Legitur autem de Marco Craſſo, cui ſeruorum turba ingens domi alebatur, illorũ præcipuã, ac quodam modo ſingularẽ egiſſe curã, adeo, ut diſcentibus adſtaret, & nonnunquam ipſe doceret: dicens, hanc præcipuam patrisfamilias ſolicitudinem eſſe oportere, quòd in re familiari ſunt inſtrumenta, quàm maximè tum animata, tum erudita.

Verum ut alij &c.

Alia domini cura circa ſeruos ad rem domeſticam augendam, uel conſeruandam inſtitutos ſit, ut quibuſq; pro meritis

retribuat, & melioribus meliora decernat. Vbi enim animaduertunt, nec uirtuti præmium, nec uitio castigationem esse constitutam, tunc meliores deteriores fiunt, & sedulio-res negligentiores, fideliores infideliores, mali peiores, & deteri deteriores. Quocirca pro uniuscuiusq; meritis cibum, uestem, quietem, laborem, castigationem, ac punitionem uerbo, & opere admoneat. In quo medicos imitetur, qui ad morborum rationem medicinam adhibere solent, de cibo tamen animaduertunt, ne ad medicinæ similitudinem exhibeant. Nã medicina cibus non est: quoniam hoc frequẽter, & continuo est opus, illa uerò, ut contingit.

Genera uerò &c.

Positis quæ ad seruorum institutionem, tum conseruationem in opere pertinẽt, docet nunc quales serui alij operibus erunt alijs accommodatiores. Ait ergo: Illa seruorum genera, uel species ad laborem domesticum subeundum maximè uidentur accommoda, quæ neq; timida sunt, neq; audacia. Nã quuum utrunq; scilicet timidum, uel audax esse scit extremũ: & omne extremũ (ut in Ethicis diximus) sit uitiosum, utraq; seruorum talia genera, quæ timida, uel audacia sunt, non carent uitio. Timiditas enim efficit impotentem ad laborandũ, & audacia ferocem reddit. Ex quo non commodè tali feroci præcipitur. Oportet itaq; in seruis comparandis, uel conducendis, ut neque timidos, neque audaces deligamus, sed qui sint mediocritatis participes. Talibus enim res familiaris mirum in modum augmentabitur: illis uerò disperdetur augmẽtata. Præterea periculum quoque haud quidem paruum herili uitæ à ferocibus imminet, à timidis nõ propulsatur. Quæ autem de seruis dicimus, de mulis, equis, & cæteris id genus animantibus dictum censemus: ut neque timida, neq; audacia

compar

comparemus. Etenim *sunt, quæ nec stimulo magis ad laborem, aut cursum mouentur, quàm lapis, uel aliud quodlibet mobile, uel immobile.* Sunt *quoque nullo domabilia freno, sed quæ sessorem quemlibet nullũ admittãt.* Ex *quo talia brutorum genera sunt ad rem augendam domesticam inutilia:*

Oportet quoque &c.

Quum *omnia certo aliquo fine determinanda sint, necessarium quoque, tum iustum, & honestum uidetur, ut seruitus finem aliquem tandem sortiatur.* Finis *ergo seruitutis sit libertas proposita, uel promissa: quoniam officia per seruum longo forsitan tempore fideliter, & liberaliter præstita sunt aliquo digno munere compensanda: quale munus* Terentianus Sosias *ab hero* Simone *dicitur consequutus: propterea enim quòd seruierat liberaliter, de seruo factus est liber.* Tum *& ipsi quoque domino futurum est utile libertatem seruis laborantibus uel uicarijs promittere: quatenus rem domini fideliter procurant: nam si cuiquam promittatur, & cui promissa, & quibus nondum promissa, omnes ad rem domini peragendam mouebuntur, & inter se alij alios uicißim excitabunt, animabuntq; ad laborem, & fidelitatem.*

Definiatur *itaque uel tempus, uel negotium seruis, quo peracto libertatem consequantur.* De *hoc autem nulla me ratione pigebit* Platonis *uerba huc transportare: ait enim:* Si *quis* Deorum *uirum unum, cui quinquaginta uel plura mancipia sint, educat è ciuitate, unà cum uxore & liberis, constituatq; in solitudine cum rebus suis omnibus, atque mancipijs, ubi liberorum hominum nullus ferre tunc auxilium poßit: quali eum, & quanta formidine uexatum iri existimas, ne forte mancipia ipsum & filios, & uxorem*

interimant? An non cogetur seruis quibusdam blandiri, polliceriq; multa, & manumittere?

Quæ autem de talibus captiuis dicimus, de nostris quoq; mercede cõductis non discõuenit ut dicamus. Prudentis enim interest domini, ut talibus præter conuentam mercedem nonnunquam etiam aureos montes, uel promittere, uel polliceri, eo maximè tempore, quo se in uitæ discrimine constitutum uidet. Nam tunc quid non est promittendum? præstandum autem, ut contingit, utq; nostræ facultatis esse uidebitur.

Sunt etiam procreatis &c.

Non tantum sunt serui retinendi bona dominorum tractatione, putà exhibendo singulis ad personarum merita, & libertatem post certum, aut tempus, aut negotium definitum promittendo, sed etiam sunt contubernij celebrandi, aut ducendæ uxoris, uel marito nubendi permißione, uel indulgentia obligandi. Nam celebrato conturbernio, & susceptis filijs, aut uernis, maximè retinentur in seruitute. Vnde ait Aristoteles obligandi sunt filijs domino. Ligantur enim maximo ligamine, ut mancipiorum filij dicantur quodam modo inter ipsorum patres, & dominum obsides dati. Est autem Obses qui in alterius trahitur imperium, hac lege, ut si qui obsidem dat, pactis nõ steterit, ius, uel facultas sit accipientis in datum sæuire obsidem (uulgò appellantur obstages). Nullus uerò preciosior est, aut carior obses, quàm filius. Maximè igitur in seruitute retinentur mancipia filijs à se progenitis.

Nec plures habendi &c.

Aliud animaduertendum est domino circa seruos, ut nõ plures habeat, qui sint eiusdem gentis, ne sectam, aut factionẽ in dominum concitent: id quod perfacile fieret, absq; eo quod dominus

dominus aut alius factionem (propter sermonis, quo eiusdem gẽtis homines inter se utuntur, imperitiam) intelligeret. Nam fingatur dominus tantum Italus, aut Gallus, serui autem Teutones aut Hispani, facilè in dominum uolentes coniurarent. Quare ex diuersis gentibus seruos habeat, æquales autem numero, uel potentia, aut quorum sermones intelligat. Vt enim in eadem ciuitate, uel concilio non sunt, aut esse debent plures eiusdem gentis, aut similiæ recipiendi, ita non plura eiusdem nationis in domo mancipia retinenda.

Sacra quoque &c.

Alia sit domini circa seruos cura, ut illorum frequentius quàm liberorum gratia sacra, & epulas largiores faciat. modica enim illa est impensa, quæ mensis fit. Solebant autem antiqui Bacchanalia festa, quæ altero nomine Dionysia dicta sunt, celebrare: solebant Lupercalia, Cerealia, Saturnalia, & alia id genus festa colere, in quibus mactata bidente, aut oue, boue, uitulo, capro, alio'ue animante, extis igne consumptis, & exhalato fumo, reliquas hostiæ partes communiter assumentes cõpotabant, & epulabantur, ac bacchabãtur. In quibus quidẽ sacris nulla serui erat à domino discretio, sed permixtim agebãt. Cùm enim Saturni æuo nõ esset seruitus cognita, factũ est à Romanis, ut in libertatis memoriam, Saturnalia serui perinde, atque liberi celebrarent, nihilq; inter se celebrantes domini & serui differebant: refert Macrobuis libro 1. capite septimo in Saturnalibus. Vult ergo Aristoteles retinendorum seruorum gratia sacra, & festa frequenter celebranda esse. Hæ sunt leges quibus dominos erga seruos uti ad rem domesticam augendam conuenit. Sed in epilogum contrahamus. Instituto erga uxorem marito, & uxore erga uirum, ne uterque sit iniurius alteri, procuret uir paterfamilias domum augere uolens, ut

plurimos

plurimos seruos nanciscatur, deinde nactus, hos ad labores exercendos, illos ad præfecturas instituat. Præfectis plus honoris, operarijs plus cibi tribuat: neutris uinum exhibeat, sed utrosque suum ad munus castigatione compellat. Timidos, aut audaces non comparet, nec retineat, neutri enim sunt ad rem augendam propitij: libertatem promittat, uxores ducere patiatur. Nam & multiplicabuntur uernæ, & procreatis filijs tanquam obsidibus in seruitute retinebuntur: seruorum gratia festa celebret, & conuiuia. Quod si exactè fecerit, ingrati, mea quidem sententia, tum odio perquàm digni censendi sunt serui, qui abs talibus dominis profugerint. Quod autem de mancipijs dictum est, de nostris seruis mercede conductitijs dicere licet, ut præter promissam mercedem, nonnihil domini numerent, quo tum fidelius, tum animosius, aut liberalius seruiant.

AD VI. CAPVT.

Positis, tum explicitis heri quæ ad mancipiorum uel seruorum institutionem, & conseruationem pertinent, in huius primi ad Leonardi traductionem libri ultimo capite elucidantur ea, quæ ad reliquarum rerum, quibus domus uel augetur, uel conseruatur, institutionem spectant. Ducta igitur uxore qualem expetimus, comparatis, & institutis seruis, uelut optima & principalißima domicilij possesßione, an non aliud superest, quo domus conseruetur, & augeatur? an non aliud habendum est in domo præter seruos? Et constat maximè pecunias habendas esse. Verbum autem pecuniæ Vlpiani & Pauli sententia [a] est latißimi significatus. Non solum enim numeratam pecuniam complectitur, uerũ etiam omnem omnino pecuniam, hoc est omnia corpora. Quatuor igitur circa pecunias constituuntur. Primum est quærere: Secundum, quæsita tueri: Tertium & quartum ornari,

[a] l. Pecuniæ uerbum. & l. Pecuniæ appellatiõe. De uerb. & rer. sig.

ornari, uti, & frui quæsitis, de quibus partibus quantum operæ pretium fore opinamur, hac prælectione Aristotelis textu cursim lecto determinabimus. Sequitur ergo textus.

Quatuor habere patremfa.

Primum itaque amplificandæ domus consilium sit ut quæramus: quærimus autem, ut dictum est, secundum naturam, & præter naturam. Secundum naturam acquisitio est, quæ fit ex agricultura. Vnde qui ex agricultura diuites fiũt, illi ante omnes sunt laudabiles. Talis enim acquisitio est imprimis iusta: etenim matrem, quæ terra est, colimus, illa uicißim nos alit, & cum fœnore retribuit: unum spargentes quasi donantes illi, centuplum referimus. Vineas, aut arbores plantantes, fodientes, refodientes, & alia, quæ ad cultum earum spectant, agentes fructum ferimus, quo & nos & familiam nostram alimus, domumq́; augemus. Præter autem naturam acquisitio est alius quicunque acquirendi modus, de quo suprà diximus, quantum satis esse putauimus. Talis uerò maximè uidetur esse, qui ex rerũ cõmutatione fit, aut qui re utitur alio modo, quàm eo, cuius gratia est. Exẽpli gratia: Si quis calceos cõfecerit, & uendiderit, aut alia re permutauerit, talis acquisitio uel nũmorum, uel alterius rei præter naturam est. Alio enim modo calceis utimur, quàm eo cuius gratia sunt. quandoquidẽ calceorũ proprietas, uel usus est, ut pedes illæsos cõseruent, utq́; frigus arceant. Quòd si aliud præstent, aut ex illis cõsequimur, ut nummos, uel granũ, aliud'ue quid simile, eiusmodi acquisitio præter naturam dicitur: nec perinde laudabilis censetur, atq; illa, quæ procedit ex agrorũ cultu. Si quis terram euisceret, ut ex illa aurum, uel argentum educat, aut ferri, uel plumbi fodinas efficiat, eiusmodi acquisitio præter naturam uidetur. Quare non æquè probabilis

babilis censenda est, atque agricultura. Agros enim colere, & fructus ex illis percipere, naturale est. Quæramus autem uel secundum naturam uel præter naturam, nam neutra acquisitio, modò iusta sit, reprobanda est, illa uerò minus.

Et quæsita tueri &c.

Secundum consilium est, ut quæsita tueamur. Ea enim summo tuenda sunt ingenio, quæ magno comparauimus labore, nec minor est in tuendo, quàm in acquirendo uirtus, Ouidio attestante, his uerbis,

Non minor est uirtus, quàm quærere parta tueri:
Casus inest illic, hîc erit artis opus.

Nam si quæramus, quæsita uerò non tueamur, nulla prorsus utilitas ex huiusmodi acquisitione proficiscitur. At erit, quod est in prouerbio, cribro aquam haurire, aut uas terebratum implere. hoc prouerbio (cuius quoque Plato meminit [a]) alluditur ad quinquaginta filias Danai, filij Beli, & fratris Aegysthi, quæ ob maritos occisos perpetuò apud inferos cruciantur labore, ut pertusis urnis uasa sine fundis implere nequaquam pertentent. huius fabulæ meminit Ouidius plerisque in locis, & Bocatius in deorum genealogia [b]

a in ij. de repu.

b lib. ij. c. 33.

Esse præterea talem &c.

Tertium & quartum consilium est, ut quæsitis ornemur, & fruamur. Nam horum gratia & quærimus, & quæsita tuemur. Ornatus ergo & fruitio acquisitionis nostræ tum defensionis sunt primum mouens, & ultimum quod assequimur. Acquiramus igitur, tueamur quæsita, ornemur illis, & fruamur. Quæramus autem, & tueamur quasi semper uitam acturi, aut nunquam morituri. Ornemur uerò, & fruamur, quasi iamiam ab humana exituri uita.

Distinguen

Diſtinguenda &c.

Vt quæramus, tueamur, ornemur, et fruamur quæſitis, diſtinguenda ſunt ſingula, qua in re magna eſt animi opus prudentia. Diſtinguendum enim eſt primum tempus à tempore, locus à loco, negotium à negotio, modus à modo: neque enim omnia uno ſunt agenda tempore, ut manifeſtum eſt in agrorum cultu. Nam tempus quoddam eſt agrum proſcindendi, uineam fodiendi, & putandi. Tempus ſerendi, & metendi tempus: neque omnia uno ſerenda loco, quandoquidẽ unus annonæ deſtinatus eſt locus, alter auenæ, alius lenti, & ſimilia: neque omnia negotia ſunt eadem, aut uno modo agenda.

Primum itaque ſit patrisfamilias, ut procuret plura fructuoſa poßidere, quàm non fructuoſa: quinimo procuret, quantum poterit, ut quæcunque in domo ſunt, quæcunque poßidet, fructum ferant.

Secundum, ut rectè ſingula diſtinguat, & ſequeſtret, quæ longioris conſeruationis apparebunt, ab ijs, quæ minoris: his ut præſentibus ornetur, & fruatur, illis nequaquam: ſed uſum in alterum tempus transferamus.

Negotia quoque ſequeſtranda ſunt, hoc eſt diuidenda in uarios labores, in exercitia uaria. Nam ſi uni ſoli negotio intenderit, & illi mala fortuna, uel temporis calamitate malè ſucceſſerit, actum eſt de negotio, deq́; re domeſtica. Exempli gratia, Si agricola uno ſementis genere, putà frumẽti, aut ſiliginis, hordei, auenæ, uel orizæ noualia ſeuerit, & malo aliquo infortunio ſatũ exarſerit, actũ eſt de labore, deq́; ſemẽte. Si mercator totã pecuniã una merciũ ſpecie inſumpſerit, aut uno collocauerit loco, & fortaſſe illo anno talis mercis ſpecies nõ ſit uel uẽdibilis, uel in pretio (ut de frumẽto, oleo et ſimilibus ſæpe cõtingit) aut locus incẽdatur, actũ eſt de re familiari.

liari. hic itaque consilium sit, ut qui (per hypothesin) ducentos aureos negotiandos poßidet, non omnes uno mercium genere insumat, aut eandem mercium speciem uni præscribat loco: sed distinguantur, diuidanturq; ne omnium periculum uno subeatur loco, uel modo. Agricola serat quotquot granorum diuersa genera poterit, neq; tamen eadem aëris regione, aut uno fundo: sed diuersis putà alijs siccis, alijs humidis, alijs soli expositis, alijs aquiloni: uiticola non unius malleolorum, aut palmitum generis, sed diuersi uineam plãtet. Accidit enim interdum ut alij caumate, alij grandine, alij pruina, alij nubibus feriantur, & sic de alijs, uel arborum, uel uitium, uel fruticum, uel olerum, aut herbarum generibus. Nam si olitor unam, aut alteram oleris, uel herbarum speciem plantauerit, uel sementem, ut granum seuerit, atque utrique malè succedat, actum est de olitore, deq; re domestica. Diuidantur ergo, & distinguantur omnia.

Circa tuendum &c.

Quoniam exemplis maximè interdum ad rem peragendam mouemur, ponit hîc de Persicis, & Laconicis & Atticis dispensationibus. Solebant autem Attici uendentes emere. Vendebant quidem omnes fructus, quotquot percipiebant suis ex prædijs, ac quotquot essent necessarij, emebant. Hoc autem ita factum uolebant quoniam, ut plurimum quæ ex proprijs percipimus fundis ea negligenter conseruimus, atque eorum distributores largiores sumus, quasi nihil nobis constent: eorum autem, quæ emimus, parci sumus, ut quæ numerata pecunia comparauerimus. Quæ tamen rei familiaris institutio mihi nequaquam placet, ut quæ in auaritiam decidat. Præterea magis nobis, aut quæ seuimus, aut quæ plantauimus ipsi, aut quæ nostris ex prædijs percepimus, sapere uidentur, quàm aliena, eisq; maiori cum delectatione

ctatione fruimur. Quare Atticæ dispẽsationes cedãt nostris, quæ magis tum naturam, tum artem sequuntur, neque ullam cuiquam faciunt iniuriam. Grauem nanque iniuriam nostris ipsorum fundis ac terræ uelut nostræ matri facimus, si despicientes quæ fecerimus, & quæ nostri fundi produxerint, illis nõ fruamur. Dãt nobis grana, dant uuas, dant deniq; fructus, atq; eos ut possunt, sapidos, quorũ et amicos & uicinos participes efficere poßimus, & illis summa cũ amœnitate frui. Nos autem auaritia quadam subhastabimus, atq; alios uilioris pretij comparabimus? hoc mihi nullo placet modo.

Est autem Persica &c.

Persica dispensatio est, ut ipse œconomus omnia iubeat, nihil alijs iubendum alijs committat, nulloq́; in iubendo utatur uicario, sed aut ipse faciat omnia, aut quo fiant modo inspiciat, neq; quicquam alijs committat, quod ipse poßit. Nullus enim parem curam habet alienorum ac suorũ. Vnde et Persæ hominis & Libyci sentẽtia hanc ad rem maxima cum rectitudine uidetur procedere. Ille equum oculo, hic fundũ uestigio domini pinguem fieri dicere solebat. Quam Persæ & Libyci hominis sententiam utinam atq; utinam nostri patresfamil. nostri œconomi obseruarent: & rem domesticam, uel oculis, uel uestigijs pinguefacerẽt. Quòd autẽ oculus domini uideatur equũ pinguefacere, testatus esse apud Xenophontẽ apparet Ischomachus. In re uerò familiari uel tuenda uel cõseruanda penoris institutio maximè necessaria est.

Cæterũ penus instituere, est in tẽpore quæ ad usum necessaria sunt cõparare & cõponere, putà frumentũ uno tẽpore, uinum altero, oleum alio, lanam item alio, & singula conuenienti loco statuere. Vinum & oleum deorsum, acetum, lanã, poma, pyra, amygdala, nuces, cydonia, mala granata, ca-

stancas, & glandes sursum. Sunt autem quædam, quæ neque sursum, neq; deorsum locari uolunt, sed medium amant, qualia putamus esse legumina, quæ si deorsum locentur, humiditate mucescunt, si sursum, arescunt siccitate, ut gurguliones facilè generentur: sin uerò in medio, serius in utrunque labuntur.

Sunt igitur &c.

Concludit itaq; omnia diligenter inspicienda, & inter uirum & uxorem dispertienda, secundum quod administrationis curæ sunt inter ipsos distributæ: atq; (inquit) hoc faciendum est in paruis administrationibus rarò: nam paruæ administrationes facilè committi possunt, ut non sit in illis semper opus, aut uxoris præsentia, aut mariti: in magnis autem sæpe. Hoc est, paruæ administrationes agi possunt absq; eo, quòd illis præsentes sint domini: magnæ autem nequaquam. Procurent itaq; & maritus & uxor quantum poterunt in omnibus etiam exilioribus præsentes esse. Nisi enim (inquit) bonum exemplum de se præbuerint, imitatorem diligentiæ nullum habebunt. Etenim fieri haud quidem potest, ut non diligens dominus diligentes uel uicarios, uel operarios habeat. Sed qualis dominus, talis uicarius, aut operarius futurus est. Summo itaq; opere siue patres, siue matresfamilias agãt, ut ipsi diligentes sint, quatenus uel filios, uel seruos uicarios, aut operarios diligentes, aut uigiles expetunt. Plerunq; autem fit, ut similes habeant labra lactucas, & operculum sit patella dignum: negligens pater, negligens dominus, negligentes filios, aut seruos alant, foueantq;.

Cum uerò hæc &c.

Cum & honestum & ad rem familiarem augendam utile sit dominum omnia, quatenus potest, inspicere, & diligentem

tem esse:hinc sequitur, quòd decens sit, & oporteat dominũ prius expergisci, & posterius cubitum ire, quàm seruos, nec domũ incustoditã relinquere:sed eius & dies & noctes diligentẽ custodiam agere, anteq; lucem surgere: quod maximè Aristotelis & medicorum sententia confert ad sanitatem, tum ad rem familiarem augendam, & conseruandam, tum ad studium philosophiæ. Mollis autem, & delicati domini animum reluctantem uideo:adeo, ut brumales noctes illi uideantur æstiuæ, & hesternum falernum (quod ait Persius) indomitum stertat, quinta dum linea tangitur umbra. Talis autem dominus Platonis uerba[a] intelligat, Somnus, ait, multus nec corporibus, nec animis, neque rebus gerendis natura conducit. Nemo quidem dum dormit alicuius est pretij, non magis quàm si non uiueret. Quare quicunq; & uiuere & sapere cupit maximè, quàm longissimo tempore uigilet, sola sanitatis commoditate seruata. Ad hanc uerò non multo opus est somno, si bene assueuerimus somnis. hæc sunt illius diuini magis, quàm humani philosophi. Expergiscamur itaq; prius ad rem augendam domesticam, & cubemus posterius.

[a] In 7. de legib.

In paruis &c.

In paruis administrationibus Atticam dispensationem, quam esse diximus, ut uendentes emerent, probat: in magnis non probat, sed distinctionem faciens uult, ut bonus, & utilis œconomus animaduertat, quæ seruari diutius possunt, & quæ non possunt: illa conseruet, quandiu poterit: his, ut præsentibus, ornetur, & fruatur. Animaduertat quæ in duodecimum mensem, quæ in undecimũ, decimum, nonum, octauum, septimũ, sextũ, et cæteros ad unũ usq; diẽ cõseruẽtur, talibusq; utatur, ut talibus. Quã fructuũ quidẽ distributionẽ ad instrumẽta quoq; domus accõmodare debemus, ut alio in loco ligo-

nes, alio rastri, alio sarculi, alio bidètes, alio falces, dolabræ, secures, terebra, mallei, forcipes, harpagones, palæ, batilli collocētur: quæ instrumēta ijs, ad quos illorũ operatio pertinet, committantur: putà seruis fabris ferrarijs malleus, forcipes: & lignarijs dolabræ, secures, terebra, serra: & sic de singulis ad rem familiarem pertinentibus: ut quæ quotidiano usui necessaria uidentur, ea exponantur, reliqua condantur. Nihil enim æquè curandum est, atq; præparare ubi singula pro dignitate, & domestico usu reponātur: ut inde quasi ex promptuario depromantur in tempore.

Ac certo tempore &c.

Dispositis & segregatis, ut antè dictum est, siue per maritum, siue per uxorem, instrumentis domesticis: animaduertendũ est sæpe, ne uel exedantur rubigine, uel humiditate mucescant, uel siccitate rimosa fiant. Etenim in aliquod eorum facilè incidunt, eoq; magis, quo sunt uel humori, uel siccitati proximiora. Quædam enim instrumenta humiditate conseruantur, qualia sunt lignea uasa, quædam rubiginem contrahunt, ut ferrea. Exeduntur quoq; rubigine, quibus minus utimur, aut quorum usus uno, uel fortaßis altero mense familiaris est nobis. Videndum itaque frequenter quæ salua, & quæ non salua fiant. hæc, si quæ sint, ab illis segregentur, ne rubiginem, mucorem'ue inducant.

Quod autem de instrumentis diximus, de alijs quoque ad usum domesticum pertinentibus dictum opinamur. Sunt uerò hæc, quæ ex lana, uel canabe fiunt, ut mappæ, gausape, manticularia, lintea, lodices, culcitræ, puluilli, culei, aulæa, tapeta, uestes, chlamydes, subuculæ, & alia id genus ornamēta ad domus, uel familiæ mundum pertinentia: quæ ad suam cuiusq; speciei rationem segreganda sunt, & locis conuenientibus recondenda, ut inde quasi ex tempore ad usus necessarios

rios exeant.

Horum autem instrumentorum, uel rerum utensilium domus conseruationem, tum dispositionem, ad uxorem spectare Ischomachus Xenophontis *determinat, adeò ut solius uxoris rerum qualiumcunq; conseruationem, mariti uerò importationem esse uelit: qua ratione & grana, & legumina, & uina essent ab uxore tum conseruanda, tum disponenda.* De *uino uerò non placet, de reliquis autem non simpliciter, secũdum enim legumina consentio, in granis dissentio.* Quòd *si per omnia* Platonis *sententiam uelimus, nihil simpliciter ad uxorem spectat, quà uxor, sed quà potest.* Nihilq; *ad uirum, quà uir, sed quà potest.* Ex *quo & importare, & conseruare ad utrunq; quà possunt pertinet.* Certent *itaque inter se uter magis rem augmentatam reddiderit, importando, & conseruando, neuterq; alterius munus despectum, uel derelictum habeat.*

Domus quoq; &c.

Domus *ut rerum possessarum est prima, ita eius quoq; imprimis considerationem esse conuenit.* Primum *itaq; considerandum est in domo, ut per omnia ad incolumitatem, & rerũ illatarum prosperitatem pertineat: hoc est, ut quæ in eam inuehuntur, moramúe faciunt, incolumia, prosperáq; conseruẽtur.* Nam *quanuis uberem, aut fœcundam uxorem sis consequutus, licet quamplurima mancipia, uel pecora, qualia expetebas, adeptus fueris, tametsi quamplurimos fructus ex feracibus, uel propitijs agris, aut arboribus perceperis, nisi domum, ut omniũ capax receptaculum, salubrem inhabites, de re actum est familiari.* Spectandum *igitur, prospiciendumq; ut sit talis, in qua uxor, liberi, serui, pecora, fructus, breuiter quæcunq; rem familiarem constituunt, seruentur incolumia.* Qua *in re considerandus est situs, qualem sit aëris regionem*

 sortitus:

sortitus, considerãda est materia, & forma. Situs quidẽ aquosus, uel palustris, aut arenosus locus displicet: siccus autem uel aridus, tum solidus, præualet, à torrente semotus, à flumine uerò, aut mari neq; semotus, neq; illis propinquus, sed ad negotiationis rationem distans, bona, tum nitenti uicinia circundatus. Vnde Themistocles domum uendere uolens, iussit præconi, ut adderet, bonam uiciniam habentem. Sit quoq; à cloacis sepositus, neutri neq; iudiciali, neq; uenali foro contiguus, illic quidem rabularum, his uerò cauponarum clamorosis garritibus familiam aut agere aut quiescere impedientibus. Sit quoq; nõ nimiũ remotus à portis, fontibus autẽ proximus. Sit ut licebit, & uentis, & soli expositus: illi enim æstate refrigerãt, hic hyeme calefacit illata. Vtroq;, Aquilone scilicet, & sole, non tantũ fructus, uerùm etiam animata conseruantur.

Domus autem materia, lapides sint, & cæmentum ex calce & arena cõfectum, & tigna, seu trabes. nostrorum enim sententia tignum, omne id est, quo ædificium constat[a]. *Hæc uerò quibusdam ex robore, quibusdam ex abiete placent: illa sunt tum fortiora, tum longioris conseruationis, ut duriora, difficiliusq; incenduntur: hæ pulchriores fiunt, & læuigatiores, & quæ illa decore antecedant, sed quæ ab illis duratione superentur. Domus autẽ ex ligno, putà trabibus, & postibus composita, quo est siccior, eo salubrior censenda est: sed tamen incendij periculo, præter quòd nõ eximitur, minus durat, ut facilè tum bruma, tum æstiuo calore penetrabilis.*

[a] *l. tigni appellatiõe. de uerbor. & rerũ signifi.*

Forma uerò domus nõ sit quadrata, sed ab oriente in occidentem uersus oblonga, insulã efficiat, fundamentis tum solidis subnixa parietibus ex maceriæ non lateritia, sed lapidea magis. Quibusdã fornicata, & concamerata placet: mihi uerò non admodũ: est enim tum subobscura, minusq; patens, tum insalubris. Iustam altitudinẽ flagito, putà quæ tribus duntaxat, aut ad summũ quatuor, sit in altũ partibus distributa. In-

ſima pars officialibus negotijs, tũ liquoribus, ut uino, aquæ, et oleo cõſeruãdis deſtinetur. Suprema aũt tũ granis (ut antè dictũ eſt) quæ ſublimia diligũt, tũ fructibus cõſecretur. Mediã uerò domino, uxori, liberis, & ſeruis deputandã eſſe opinor.

Pecora deniq; ut equi, boues, oues, et cætera id genus animãtia, quoniã ſunt bruta, & rationis expertia, terrã habitẽt, aridã tamẽ, & ſub tecto, neq; teſtudinato. Paleas uerò interim ac fœnum, & ſtipulas in ſublimi domus collocari placet, tum quia ſiccitate lætantur, tum quia malo caſu, ſiniſtro'ue incenſa minus officiunt. De inſtrumentis uerò domeſticis quanã ſint locanda in parte, dictum eſt prius.

Sit autẽ ampla ut poterit, ne ulla rerũ moleſta uideatur cõfuſio: ſed quæcũq; generatim inter ſe diſpertiãtur, ab humidis ſicca ſegregẽtur, à leuibus grauia, à mollibus dura, ab aſperis, aut ſpinoſis glabra diſtinguãtur, ſit undiq; ad ſufficiẽtiã feneſtrata. eiuſmodi uerò ſufficiẽtia ad longitudinis, latitudinis, & altitudinis proportionẽ definiatur. Talibus autẽ exornẽtur feneſtris, ut nũc ſolẽ, nũc Zephyrũ, nũc Aquilonẽ, nunc Eurũ poßit excipere. Sunt qui atriũ expetũt in pãpinos, aut frondes fornicatũ, aẽreũ autẽ, & patulũ ſalubrius eſſe manifeſtum eſt. Ianuam uerò orientalẽ magis eſſe naturæ imitatricem quàm occidentalem opinor, ſed meridionalis placet.

De aulæ, aut cubiculorũ lõgitudine, illius latitudo, uel altitudo ad ſummũ geminata in longitudinẽ placet: cubiculorum uerò quibuſdã forma quadrata placet: ſed horũ, atq; illius exactus ſit oculus iudex. alijs enim alia tũ lõgitudo, tũ latitudo & altitudo placet: oculus itaq; talium ſit exactior iudex. Imprimis uerò nulla ex parte ſuus aut quantitatis loci conſideratio negligenda eſt: diſtribuenda enim eſt quantitas in partes, non quidem æquales: ſed inæquales ad Geometricam proportionẽ, ut hæc ſit ad illam dupla, hæc tripla, iſta ſeſquialtera, hæc non tanta: breuiter ut omnia rerum & loci iuſta

proportione seruata fiant. Hîc focaria ligna, illic uinaria uasa, istic dolia cum uinarijs prælis collocentur: hic atrium sit, istic culina, tum uel aula, uel cœnatio: hîc cubiculum, istic uestiarium, & musæolum designetur: & sic de singulis partibus domus, ut aliæ alias excedant longitudine, latitudine, & altitudine ad rerum, loci, tum officiorum iustam proportionem. Caminorum structuram gypsatores definiãt: interim uerò quorum latitudo ad orientalem uersa est partem, & qui minus sunt aquiloni obnoxij, illi exhalantiores mea quidem ac plurimorum sententia sunt censendi. Deniq; uiridibus incrustatá domus ad incolumitatem haud quidem parum confert. Emundatio frequens, sanitatis non est spernenda conseruatio. hæc autem de domo sint dicta.

Videtur quoq; &c.

In magnificis, diuitum'ue domibus ianitorem utilem esse ait, neq; tamen indifferentem, sed qui per alia sit inutilis. Talē autem existimo, qui utroq; pede, uel altero sit claudus, manibus autem & corpore ualidus, oculis & facie toruus, linguax, & clamosus pro exportatorũ, & importatorum obseruatione: ignotos aduenas, etsi nihil mali ab illis pertulerit, more canum grauiter ferat: notis uerò exportãtibus ferox, & molestus, importantibus facilis, placidus, & benignus existat, ne magis exportetur, quàm importetur procuret.

Ad rectum uerò usum.

Commendat Laconicam dispensationem, quam suprà esse diximus, ut quæq; instrumenta, uel fructus, suo disponantur ordine. Summa igitur huius capitis sit, ut in domo quã bene cõstitutã esse desideramus, singula secundũ genus, uel speciẽ secernantur, argentea ab stanneis, ferrea ligneis non commisceantur, à lineis lanea semoueantur. Breuiter absit confusio. Simplicem autem segregationem esse opinor, quæ secundum

cuiusq;

cuiusque in domo negotiantis est munus, ut dispensatori sua deputentur instrumenta, condo, promo, atriensi, coquo, structori, prægustatori, medico, cubiculario, & alijs in domo ministrantibus suus cuique designetur locus, sua cuiq; mansio, denique sua cuique addicantur instrumenta, qualiacunque sint: illaq; disponant, ut antè dictum est secundum genera, deq; talibus paterfamilias, eius'ue partes qui agit, hoc est uicarius, aut materfamilias, ad quam diximus conseruationem pertinere, rationem frequenter exigat: ita enim fiet, ut diligentiores tum ad custodiendum, tum ad agendum, qui talibus operantur instrumentis, euadant.

Hæc sint tandem ad primum librum ex Leonardi traductione dicta. De plurimis autem quæ diximus, aut quæ dicere omisimus, ad rem augendam domesticam animaduertat imprimis Oeconomus pater'uefamilias, ut magis desideret uẽdere, quàm emere: procuretq;, ut habeat, quod uendat. fructus uerò intelligo, atq; omnes in tẽpore, sed proprietates melioribus, utilioribus'ue quatenus poterit, permutet.

AD SECVNDI LIBRI

PRIMVM CAPVT.

ELVCIDATIS primo libro partibus domus, quæ cõstitutæ sunt in homine et possessione: explicitis quoque certis legibus, quibus maritus in uxorem, tum in seruos, deuincitur, nec non quibusdã acquirendi, et conseruandi modis: in hoc libro describũtur, primò leges quibus proba mulier esse debet in uirum. Deinde quibus uir in

uxorem. Tertiò, utræq; testimonio confirmantur.

Primùm ergo incumbit mulieri, ut sit proba, hoc est, se à deliquendo prohibens, itaq; proba ijs, quæ illata sunt, dominetur, & curam agat. Secunda lex ceu animaduersio sit, ut non permittat quenquam domum introire sine consortis præcepto, idq; tribus rationibus. Prima, ne sinistra suboriatur fama: Secunda, ne secreta domus efferantur: Tertia, ut si, qui intromissus est, quicquam commiserit, tota in maritum culpa transferatur. Tertia lex, ut sit domina impensarum, quæ festis diebus ad mariti permißionem fiunt. Nam si talibus dominetur, ut est marito cautior, & parcior, tum domestici honoris & mundi studiosior, magis ordinatum, tum sumptuosum censebitur esse conuiuium, minori tamen impensa fiet.

Sumptu autem &c.

Quarta sit uxoris lex, ut minorem sumptum faciat in uestitu, quàm ciuilibus legibus, uel municipalibus statutis permittatur. Non enim omnia quæ permittunt leges, sunt simpliciter honesta, neque quantum licet, est semper expendendum. Consideret ergo uxor quòd sumptuosa uestimenta, uel excellens forma, aut monilium diuersitas, pedissequarum turba, cerussata, uel miniata, personata, anchusa illinita, & fucata facies non tantum laudis afferunt mulieri, quantum rerum modestia, simplex, & naturalis tum ornandi, tum uiuendi modus. hic enim eo honestior, ac decorus magis censendus est, quo naturæ simplicitati, sineq; arte propinquior esse apparet. Et quoniam animus magis permanet quàm corpus, eius ornatus imprimis quærendus est, ut qui cum animo firmus sit, & ad senectutem usq; permanens, corporis autem ornatus fluit, aut arescit cito, leuiterq;. Præterea animũ exornare

ornare & mulieri, & natis eius plurimum laudis confert. Tales enim fore speramus liberos, quales ut plurimum, illorum matres conspicimus. Procurent itaq; animum exornare, nõ corpus: & sic domi laudabiliter agẽdis in rebus præsint.

Hic si nostri temporis mulierũ bona pace dicere liceret, non expetit Aristoteles in proba coniuge uariegatas, refluxas, sinuosas, milleq; funibus intortas uestes: non expetit celsiores, uel crepidas uel calceos, quò procerior appareat: non expetit capillos acu retortos, multoq; minus subdititios, aut suppostititios expetit. Odio habet inũctas, aut incrustatas facies. Dicat enim mihi (si modo pace fiat) id mulierũ genus, an non est omnis præsertim in coniugio exigenda, & exterminanda fallacia? an non sunt ipsæ nimiũ fallaces maritis, uel nõ maritis, quæ se nunc proceriores, nunc iuniores, nunc graciliores, & candidiores, quàm sint, persuadere nituntur? Strumosas, uel gibbosas natura, deplanant arte, ut claudicantes non claudicent, ut balbutientes non balbutiant, ut insipientes sapientes appareant, ut sine numero defloratæ, tanquam uirgines nubant, ut grauidæ, non grauidæ sint, efficiunt arte. In quo non sunt fallaces fœminæ: per omnia uolentes fallunt inuitos maritos. Chartaceum thoracem ante, & à tergo compositum, armillas fronti & auribus appendentes, auiculas, uniones, gemmas, pepones aureos, torques, papiliones, retia, breuiter aureos hortos circum caput nunc floribus, nunc fructibus fœcundos dimissos facio, & dicant mihi, annon morionem, aut histrionem ex habitu iudicamus? Annon exteriora sunt interiorũ argumẽta? Quod si sunt, ista uestimentorũ diuersitas, isti sinus, annon indicant animũ sinuosum, uarium, & multicolorem? Si maritum ita cernerent adornatum, ita cerussatum, uel minio delibutum, num amarent, num oscularentur? Audiant Ischomachum apud Xenophontẽ, Dij (ait) fecerunt

fecerunt, ut equis quidem equi, bubus autem boues, & pecudibus pecudes suauißimè sentiantur, ita hominis homini corpus iucundißimum est. Et me igitur existimes ô mulier, neque cerussæ colore, neque anchusæ magis gaudere, quàm tuo. Hæc sunt Ischomachi ad uxorem, quam animaduertens cerussa inductam, & fallaciter exornatam, abs talibus placidis, & benignis argumentis diuertit, & naturalem comptum persuasit, itaq; instituta mirum in modum cum marito reiecta fallacia, rem domesticam augmentauit.

Dediscant igitur nostræ mulieres fallaciter agere. Nam quem non fallerent, si maritum fallant? Antè dicta uerò aliquo possent ferri modo in non nuptis, sed postea quàm unum fefellerunt, sibiq; sua coniunxerunt fallacia maritum, annon simpliciter, uereq; cum illo agendum est? an non uidentur alios fallere uelle, quò sibi plures coniungant maritos, ne dicam adulteros? Discant igitur uni placere soli, & simpliciter, ac modestè cum marito agere, seq; illi, non alijs quibuslibet ornent, & quales esse animo cupiunt, tales sint ornatu, & uestitu, procurent cum fidelitate, quæ intus fiunt, quæ uerò foris, illa marito peragenda relinquant. Nam ut absonum est maritum, quæ domi fiunt omnium scium esse uelle, & rationem exquirere, ita turpe quidem uxori futurum est, si de ijs, quæ fiunt extra, maritum roget. Sed hîc ex Aristotelis sententia, ut superius dictum est, distribuantur munera, ut uxor quæ domi agenda sunt, agat, maritus quæ foris.

Necaudiens &c.

Quinta lex sit, Non roget uxor maritum ea, quæ ad Rempub. spectant, nec de talibus sit solicita magis, quàm de filiarum matrimonio: sed hîc poscente tempore marito consentiat, quidquid de filiorum coniugijs dispositum uolet, seu

generi

generi sint, seu nurus, & secum unà deliberet, concludatq́;, ut uiri sequatur sententiam. Cum enim filij filiæq; in patris sint potestate, nihil mirum si ad eius ipsius arbitrium uel prudentiam collocandi sunt, uel collocandæ matrimonio. Talem igitur solicitudinem curam'ue marito ut patri relictam uelit: atq; intelligat non ita esse turpe marito de ijs quæ intus fiunt inquirere, sicut uxori de ijs, quæ foris uel aguntur, uel sunt agenda.

Existimare &c.

Sexto existimet uxor, maritum sibi datum esse in uitæ consortem, & legem quodam modo sibi esse matrimonij, quam si pertulerit, rem domesticam, ut suam, facile administrabit. Quod si non perferat, sed legem se uiro positam putet, domesticum negotium difficulter curabitur, proinde uxorem decet morigeram, unanimemq́; se uiro exhibere, atque omnino illum sequi, non tantum prosperis in rebus, uel secuncunda fortuna, sed etiam in aduersis: putà, si quis sit in rebus defectus, qui mala sorte uiri prouenerit, ut uel hic in aliquam calamitatem inciderit, uel corporis ægrotationem, aut ægritudinē patiatur, æquo ferens animo se doloris, & infortunij participem & consociam præbeat, obsequaturq́;, nisi tamen quid ille turpe, aut indignum ut infortunio alienatus mente imperet, uelit'ue: quale fortasse uideretur, si iuberet uxori, ut prostibulum, aut mœcha fieret, aliquid'ue indignum uiro ageret.

Nec si quid &c.

Septima sit lex, Si quid agere maritum mente alienatum contigerit, ut ira, uel ægritudine, aut incontinentia, uel zelotypia in illam deliquerit, puta conuiciando, uerberando cum altera forsitan iocando, conniuendo, mollè ridendo, amplexando, uel osculando, non memoria teneat, sed obliuiscens

liuiſcens animi ægritudini,ut iræ,uel incontinentiæ,aut [...]tati imponat:quandoquidem quanto in talibus ſe marito magis obſequioſam, & morigeram præſtiterit, tantò maiorem ab illo perturbatione liberato gratiam feret. Quòd ſi quid turpe iubenti uiro non paruerit,reſipiens maritus,uel ad mẽtis ſanitatem reſtitutus,qualénam iuſſerat recognoſcens, uehementius uxorem eſt amaturus.Animaduertat itaque uxor in talibus,quæ turpiter nonnunquam à marito præcipiuntur perturbato, ut non pareat. In reliquis uerò , quanto magis non obſequitur in turpibus , tanto libentiori animo honeſtè præceptis obtemperet : ſeq́; morigeram & obſecundantem præſtet,ac recognoſcat ſe nõ mercenariam, aut emptam pretio,ut mancipium, at liberam exiſtimet , & ingenuam. Agat igitur ut talem decet.Solent enim mercenarij & mancipia non amore,ſed hæc metu,illi pecunia moueri ad obſequia: uxor autem non ſe conductam, aut emptam pecunia putet , magno tamen pretio empta fuit mariti conſuetudine, ſocietate uitæ , tum liberorum procreatione: quibus liberis nec maius,nec ſanctius quicquam in matrimonio contingere poteſt.Non itaq; pecunia, nõ metu ab obſequendum marito, ſed ſolo coniugali excitetur amore , atque eo magis , quo illum aut aduerſa fortuna aut morbo exagitari animaduerterit.Nam ſi cum fortunato,cum proſpero,cum ſapiente, cum beneuolo marito uxor placidè ac benignè peruixerit , non tantum eius uirtus benignitaś ue commẽdabitur,aut illuſtris futura eſt,quantum ſi placida,tum bene uolens cum infortunato uel rixoſo,et infido peruixiſſet.Cedo tamen,inquit Ariſtoteles,non eſſe parum ſecundis bene uti, multo autem maius aduerſos & infœlices ſucceſſus ſumma perferre moderatione.In magnis enim calamitatibus,uel iniurijs nihil demiſſi,nihilq́; abiecti facere,celſi eſt animi.

Precan

Precandum igitur &c.

Quoniam uerò antè dictæ in cōnubio aduersitates, quòd pauper, quòd ægrotus, cùm corpore, tum animo, quod rixosus, quòd nonnunquam uerberans, quòd parum pudicus maritus fiat, prouenit à fortuna, precandum est, ne quid tale uiro accidat. Quòd si nihilo magis precibus promoueatur, existimet mulier diuina quadam permißione contingere, quò maior laus inde proficiscatur, si moderatè, fortiterq; se erga uirum præstiterit, habeatq; in memoria Alcesten, Penelopen, tertiam Aemiliam Aphricani prioris uxorem, habeat Turiam uxorem Quinti, & Sulpitiam uxorem Lentuli, uel similes, in quarū animis tum amor, tum pudicitia coniugalis mirum in modum eluxit inextinguibilis. Quæ mulieres, si cum fortunatis, benignisq; coniugibus peruixissent, tantam gloriam, tantamq; famæ, ac nominis immortalitatem non essent consequutæ. Prosperitatis autem coniugalis, quæ participes esse uelint, facile uxores inueniuntur. At aduersitatis difficile, perpaucæq;, nisi tales, quæ præstent, & fide, et bonitate. & tamen ob aduersitates multo magis deberent uirum in honore habere, aut saltem non contemnere, licet sacra pudicitia et opes non comitentur: hoc est, Esto quòd parū pudicus, esto quòd pauper effectus, rixosus, uel difficilis, nihil minus honorandus est, non contemnendus maritus.

Notas autem esse tibi puto, quarum hìc meminit, de Alceste & Penelope historias. Enimuerò renouandæ memoriæ gratia paucis alteram perstringam. Alceste filia Peliæ regis Thessaliæ tandem nupsit Admeto regi facto: hoc grauißimo laborante morbo, Apollinis oraculum de sanitate cōsultum, haud aliâs liberatum iri respondit, quàm ex alicuius affinis & necessarij sanguinis litatione, uel sacrificio. Conuocatis deinde parentibus, consanguineis, affinibus, tum amicis, null

cis, nulloq; omnino de compluribus mortem pro Regis Admeti instauranda salute subire uolente, illa sola socero, & socru, cæterisq; spectantibus pro marito mortem oppetere non expauit, ac patrem matremq; Admeti coniugali superauit amore. Quod quidem præclarum facinus, ab ipsis Dijs nedum hominibus, est egregium iudicatum, adeò, ut Platon in Conuiuio fabulante restitutus Admetus uxoris beneficij memor superos deprecatus exorauit, ut Hercules eius uxoris gratia ad inferos descenderit, & Alcestes animam ad superos reuocauerit. Huius quoque meminit Ouidius,[a] & Bocatius[b] in deorum genealogijs.

a In iij. de arte.
b Lib. 33. c. j

De Penelope uerò trita notißimaq; est historia. Aliarum uerò quarum nos mentionem fecimus, notißimum est ex Valerio Aemiliam summa cum modestia mariti adulteram domi pertulisse, Turiam proscriptum maritum magno ipsius periculo, etiam sciente ancilla (cæteris proscriptis peregre in hostilibus regionibus uitam degentibus) in cubiculo conseruasse: Sulpitiam denique spontaneam proscriptionem & exilium passam esse. Hæc autē tametsi uero similia sunt, nobis tamē quoniā scriptis accepimus, minori ueritate cōstant. Ego uerò, ut ad posteros de nostris mulieribus quid transferamus, dicam de quadam mihi concive, & contemporanea, quæ annorū circa uiginti cum ex animi sententia nupsisset, & cum marito annos non plures quinque castè, amanterq; commorata esset, hoc diuina quadam permißione, uel mala sorte in lepram incurabilem morbum lapso, illa maritum ab hominum cōmercio segregatum, nec parentum, nec eius, nec amicorum precibus, nec minis, quin comitaretur, cohibita, peruixit annos circa decem cum coniuge, colludens, scabens, & alia quibus uicißim amantes coniuges delectantur, agēs. Breuiter sola uiri morte tale solutū est matrimonium.

Maiores

Maiores nostri suas, si quæ uiderētur pudicæ, ad nos trāsmiserunt, quorum æmulatione nostras, quæ sunt, nedum uidentur, ad posteros transmittamus. Ea enim quæ cum uirtute fiunt, nullo sunt obliteranda æuo, atqui commendanda & celebranda, ut illis uelut exemplaribus ad similiter agendum laudis excitemur cupiditate. Appellantur autem hîc opes ex Orphei sententia Animositatis filiæ, ut quæ ab illa comparentur, & quodam modo generatæ, tum fotæ dicantur. Sed hæc sunt ad hoc primum secundi libri caput sufficienter dicta.

AD II. CAPVT.

NE se legibus solutum maritus erga uxorem existimet, positis legibus uxoris, Aristoteles optimus legislator mariti leges subiungit. de quibus per partes, lecto textu, disseremus.

Vir autem &c.

Econtrario, inquit, maritus sibi leges, quibus uxori deuinciatur, ponat: quarum prima sit, eam filiorum matrem, & sociam uitæ, non ministram, esse meminerit: habens in memoria communem in domum peruenisse, in hac liberos relicturam: qui & sui, & mariti, tum ascendentium nomina, uel cognomina sint habituri. Nihil enim est sanctius quàm ex optima, & laudabilissima coniuge filios procreare, qui senectutis tum paternæ, tum maternæ seduli pastores, totiusq; domus seruatores sint futuri. Nam si boni, & iusti moribus à parentibus educentur liberi, tales illis senio confectis hi sese præstabunt. Educabuntur autem bene, iusteq;, inter patrem & matrem si concordiā, si mutuum amorē, si non molestas, ut fastidiosas rixas, si non uerbera conspexerint, si nil nec facto, nec uerbo turpe animaduerterint. Absint itaq; à sanæ mētis coniugibus turpia facta, & obscœna dicta, illiberales ioci, ac gestus. Audiant obsecro hîc Satyricum illū Iuuenalem,

Maxima debetur puero reuerentia: si quid,
Turpe paras, pueri ne tu contempseris annos.

Sed dij boni, quot ineptias, quot obscœnitates, illiberales iocos, & gestus, quot turpia uerba, nos patres præsentibus liberis emittimus? quoties accubantibus uxori concumbimus? Imò ad quid turpe filios non excitamus, & cogimus? Turpia uerba loqui docemus, ad turpes mores, turpißimoq; gestus instituimus, quid non mali ostendimus? Nihil inde mirum si grandes facti turpiora loquantur, & turpißima gerant. Cessent, obsecro, iam tandem eiusmodi, sintq; mariti apud uxores tum liberos tanta reuerentia, ut ne quod in illis castigarent, hoc in ipsis ab illis uicißim castigetur, discant'ue. Sint igitur concordes in coniugio, & modesti, bonumq; uitæ filijs exemplum præstent, ut quales sunt ipsi, tales euadant liberi, nec aliquam ab honesto excusandi ansam ipsis præbeant: sed caueant omni uitio, ut liberius filios delinquentes corrigant, ac emendantibus filij pareant, timeantq; patres, ne à modestioribus filijs contempti, tum despecti senes facti, & imbecilles deserantur, hæc igitur sit prima lex mariti erga uxorem & liberos.

Quapropter &c.

Secunda lex sit, nihil prætermittat maritus, quod ad ueram uxoris institutionem, disciplinam'ue nouerit pertinere, ut ex ea quàm optimos filios generet, qua in re prudentem, ac prouidum agricolam imitetur: hic nanque nihil prorsus omittit, quod sementi nouerit obfuturum, neq; deserit, quod profuturum est. Exossat enim campum, eruderat, glebas proscindit, uepres extirpat, cremat, ac sentes cum tribulis & stipulis incendit, stercorat, rursum colit, & arat, rigat, uallis circundat, aut sepit, ex tali cultu, satione, uel cura fructus

perceptaturus quàm optimos, moriq; potius destinati, quàm iacti seminis uastationẽ sustinere: quam quidẽ mortem superius laudabilem esse diximus. Si ergo tanta cura, tantum studium, tantáue solicitudo sementi pro corporis cibo adhibetur, quãta pro liberis tum nutrice matre adhibenda est? Mul*to, inquàm, maior, aut ad minimum tãta.* Talibus *enim liberis hominum mortalis conditio efficitur immortalis, cuius quidem immortalitatis gratia talia parentum uota existunt, & ad illam tendunt.* Ex *quo, qui uxorem, & liberos negligit, ipsis dijs maximam facit iniuriam, ut quibus præsentibus, quasi testibus accitis, post patrem, & matrem, se iureiurando deuouit uxori.*

Volebant *autem antiqui nuptiarum deos esse* Hymen*æum,* Iunonem, & Venerem, *quibus præsentibus iureiurando fides cõiugio uouebatur: cui fidei si tum demum non staretur, uel per uxorem, uel per maritum, iniuriam non solum hominibus, qui adstiterant, sed ipsis dijs pronubis factam esse uolebant, sacra enim cõnubialia uiolabantur.* Enimuerò *isthæc ueteribus poëtis, ut fabulosis relinquamus, & an non* Domi*no* Deo *nostro, nõ* Hymen*æo, non* Iunoni, *aut* Veneri, *sed qui uiuit in æternum, qui omnibus, nedum coniugio præest, grauissimam iniuriam facimus, sanctas, & inuiolabiles leges matrimonij uiolantes?* An *non est à domino præceptum nobis,* Non *mœchaberis, non concupisces uxorem proximi tui?* Quod *quidem præceptum, ut maximè cùm ciuile, tum diuinum, à* Lycurgo, *cæterisq; ueteribus* Iuri*sconsultis obseruatũ iri mãdatũ est: adeo, ut matrimoniorũ uiolatores grauissimis quidem pœnis subdiderint.* Et *nos* Dominum Iesum Christũ *profitentes, nobis summæ laudi adscribimus propriã fallere coniugem, alterius uirum inescare, doctũ spectare lacunar, et ad calicẽ uigilãti stertere naso reddere, eius uxorẽ persuasam*

efficere, muneribus uel blandis uerbis decipere, adulterium committere, focariam meretricem alere, eius & uxoris medijũ cubare. Ita *nostro* Christianorum *tempore uiuitur, nostras uxores pellices nostra culpa factas alijs tradimus, & quadam permutatione nobis aliàs supponimus,* Grauem *ergo, & dijs & uxori iniuriam facimus, cui post parentes obligamur.* Hinc *autem determinatur quæstio, cuius mentionem in* Ethicis *fecimus, utri magis debemus, patri, uel matri, an uxori: atq; constat, quòd parentibus, secundo loco filijs, tanquam nobisipsis, ut qui sint pars, aut uiscera nostra: tertio uxori.* De *hoc autem ibi sufficienter dictum fuit.*

Maximus autem &c.

Ne *talis fiat uxori iniuria, inquit, maximus honor futurus est uxori ex uiri castitate, sobriæ, inquam, uxori.* Nam *si sit non sobria, sed impudica, nulli prorsus honori castitas uel fides uiri futura est, ut in* Ethicis *disputauimus.* Bona *enim sunt bona bonis, mala uerò malis.* Vnde *uiri castitas non sobriam, uel impudicam uxorem nequaquam illustram efficit: & contrà, impudicum maritum uxoris castitas non illustrat.* Pro*curent itaq; uicißim, ut sint fideles, & casti, & ut tales permaneant.*

Tertia *lex constituatur mariti erga uxorem : & contrà, uxoris erga maritum :* Maritus *uxorem suam, tametsi forsitan impudicam, existimato pudicam.* Nam *si pudica est, & impudica putetur, iracunda talis forsitan fiet.* Quòd *si est impudica, & pudicam existimet, pœnitens uxor tandem maritum fallere, uel mendacem efficere, pudica fiet, seq; talẽ præstabit, qualis à marito esse creditur.* Idem *de uxore erga maritum dicendum est.* Pulchrum *enim utriq; mediusfidius futurum est, uxori, si de nulla quàm de se maritum cogitantem nouerit,*

nouerit, ſi ſe præ cæteris amari intellexerit, ſi marito nullam ſibi pulchritudine anteferri audierit. Idem de uiro determinetur. hoc enim faciet, ut uterq; ſe magis talem præſtare conetur, qualem apud alterum ſe fieri intellexerit.

Hîc autem fuerat in animo iucundam, & forſan haud quidem inutilem quæſtionem ponere, quam certò ſcio ſine magno, tum grato riſu neutiquam definiuiſſemus: ſed tamẽ quoniam iucundis ſermonibus has noſtras œconomicas prælectiones determinare conſtituimus, mihi magis opportunum iri factum apparet, ſi poſtremum in locum transferemus: ut unà cum epilogo, qualibus bonis, gratis, & fœlicibus auſpicijs cœpimus, noſtram amborum hîc operam talibus claudamus, uel terminemus. Sed ne tu interim ſuſpendaris, & forſitan (laborat enim ſuſpenſus animus) moleſtêre, quæſtio talis futura eſt: Vtros ex uxore filios uehementius maritus amare debet, qui ſibi ſunt perſimiles, an uerò qui omnino diſsimiles: & an ex ſimilitudine uel morum, uel faciei ſit integrum arguere talem eius eſſe filium, cui eſt ſimilis. Exempli gratia, faciamus mihi uxorem eſſe, (ô ſi eſſet, grata uerò & honeſta moribus, aut docilis) ac filiũ peperiſſe omnino mihi tum ſecundum faciem, tum ſecundum mores diſsimilem: cuidam autem furioſo, uel religioſo monacho, aut Franciſcano perſimilem: utrum hîc ſiniſtrè præſumendum ſit de coniuge, ut uel adulterij ream oſtendere, tum publicare, uel libellum repudij indicere, & an talem filium iure teſtamento, uel præterire, uel exhæredare, uel etiã bonis abdicare liceat. Noſtri legũ interpretes, phyſicos ſcilicet, aut phyſiognomos agere uolentes, pugnant: ſuntq;, ut per cætera inconſtantes. Nos autem ſi tu mihi, ut ſpero, conſenſeris, nequaquam pugnabimus: ſed paucis uerbis rem controuerſam definiemus. Tu ergo interim cogita, quò utroq; ferente, noſtra cõiungamus

ſenſa: proſequamur autem ad textum redeuntes, unde diuertimus.

Ergoprudentem &c.

Cùm ergo ex prædictis conſtet, maritum parentibus, uxori, & liberis plurimum debere, quarta ſit lex, Non ignoret maritus quidnam parentibus, quid uxori, quid denique liberis debeatur: ut unicuique quod ſuum eſt tribuens, iuſtus, & ſanctus ab hominibus, tum diuis, Deoq́; iudicetur. Grauiſſimum enim eſt unicuique ſuo priuari debito, & honore, nec alieno quis quantumlibet multiplicato contentus uiuit, perinde ac ſuo. Vnde quum nihil magis uxori ſit ſuum, quàm uiri caſtitas, & fides inuiolata, aut ſocietas, non erit contenta uxor (uxor inquam bene inſtituta) quouis alio munere, quauis alia permiſſione, eſto quòd cum centum, ac pluribus, iiſq; bene uirilibus agere maritus fortaſſe permitteret, ſi uiri, ut mariti debita caſtitate priuetur. Quocirca non decet ſanæ mentis hominem temere, aut in quamlibet terram ſemen ſuũ ſpargere, ne de uilibus, iniquis, & illegitimis generentur illegitimi, & ſpurij. Ex quo & ipſis ſpurijs nedum uxori grauiſſimam iniuriam fieri animaduertimus, ut quibus muneribus, & honoribus publicis atque omni tum paterna tum materna ſucceſſione ſit iure publico interdictum.[a]

[a] *Authen. ex complexu. C. de inceſt. & inutil. nup.*

Appropinquandum &c.

Modeſtè uſus eſt dictione, Appropinquandum, qua mariti & uxoris congreſſum ſignificat. Appropinquabit itaque maritus uxori magna cum modeſtia, magnaq́; temperantia: non autem in propatulo, non in aperto, ſicut Diogenem facere ſolitum eſſe aiunt: non coram teſtibus, ſicut pleriq; noſtro tempore, prætenſa quadam uulgari nobilitate omnia ſibi ubiu

bi ubiuis loci licere arbitrantes. Sit quoque pudor in uerbis, nedum in operibus, qualem & honestas, & fas suadent, permittunt'ue. In conuersatione igitur, uel consuetudine, sit fides, & moderatio: honestas enim, & fas eatenus talem permittunt congressum, quatenus eius finis procreatio est, aut sanitatis conseruatio, uel debiti persolutio: nõ autem quatenus uoluptas est finis. Nam si hanc hoc est, uel nostram, uel uxoris uoluptatem sequeremur, uno prandio omnia essent exhaurienda dolia, uel euoluendi cadi. Proinde cum modestia congredi cum uxore sit lex quinta mariti erga uxorem.

Parua quidem peccata &c.

Sexta lex sit, Si quando contingat uxorem etiam uoluntarie, uel fœminea bili (modo sit exile peccatum) delinquere, non statim illi maritus insiliat in uultum, aut in caput, neque etiam in conuicia: sed prudenter ignoscat. Si quid uerò ignoranter commiserit, tametsi permagnum, ignoscat quoque, sexus fragilitatem in memoria habens: sed interim commonitam uelit, ne quid simile rursus agat. At quid si grauiter uolens quicquam commiserit, putà si adulterium? Hîc distinguendum esse opinor. Nam si palàm commiserit, legibus castigatam uolet, & separentur à thoro: hoc enim tum ciuili, tum canonica diuinaq; lege, ut euangelio[a] & honestate permittitur, malitq; maritus solus domi cum integritate sine prole uitam agere, quàm adulteram alere coniugem, aut ex illa liberos illegitimos tollere. Sin uerò clàm: neq; hîc maritũ uxori mastigẽ uolo, sed redarguat, castiget, atque admonitionibus, tum precibus emendatam uelit. Quòd si uideatur insanabilis,

a *Math. 19. Can. dixit dominus. 32 quæstio. 1.*

dicat parentibus, ut emendent: si neque talibus castigationibus melior euaserit, sit marito tanquam ethnica, gentilis, & publicana: abdicet illam à coniugio, diuortium indicet, libellum mittat repudij, & alia, quæ tali sunt digna uxore, peragat.

Nec metum &c.

Septima lex. Non tantum uerbera uxoribus à maritis non sunt incutienda: sed ne metus quidem sine uerecundia, & pudore. hæc enim, metus, ac uerbera meretrices à mœchis, aut lenonibus sufferre decet, ac debent, quasi dignam laboris mercedem consequãtur: uxores autem à uitæ consortibus nequaquam. Sed tamen interim ingenuæ uxoris proprium esse opinor, ut cum uerecundia, & pudore, iusteq; uirum diligat, timeatq;. Timeat, inquam, non herili, uel seruili timore, sed quali socius socium timet, aut filius patrem: uel quali bene morati ciues bonum principem, aut gubernatorem: non quali ciues Tyrãnum, uel iniquos legum exequutores, et ministros. Talis enim timor, ut cuius tyrannis est causa, reprobus est censendus.

Ex his quoq; &c.

Consilium est Aristotelis, ut ex antè dictis legibus meliores maritus sumat, itaq; efficiat, ut sibi uxorem instituat, & conciliet, fidelem, ac propriam reddat, adeo ut siue præsens, siue absens sit maritus, nihilominus illa sit eius: & omnino rei domesticæ, uelut rerum communium curam agens intendat, sitq; persuasum eidem siue præsens, siue absens sit uir, nullum eo, neq; pulchriorem, neque meliorem, neque ad rem augendam domesticam commodiorem.

Ostendátq; &c.

Supradictas leges maritus ab ipso coniugij initio conseruet,

seruat, ad bonum semper intendens commune, tametsi puella sit, & noua, ac forsitan nondum uiri capax: quia si talia maritus inceperit, ac primum sibi dominetur, tunc totius uitæ communis quàm optimus rector futurus est, & uxorem in talibus sibi edoctam efficiet. Primum *itaque sibi ipsi dominetur, tum alijs imperare incipiat, quum ipse turpißimis dominis dedecori, ac turpitudini seruire desierit.*

Sunt autem qui annis grandioribus puta triginta, quadraginta, uel quinquaginta nati, magis hæreditate pingui, aut magna dote, quàm fœmina moti iuuenculas, ac nondũ ephebas uxores ducunt, quarum annis, etsi parcant, non tamen interim parcũt libidini, ut qui ab alijs fœminis, ut scortis, nõ temperant. Talibus *uerò amen dico, quod alijs maritis ipsi ualidi, & potentes fecerint, ab alijs uicißim senes inualidi, et impotentes facti expectent. hoc enim sors habet communis, ut ab alio expectes, quod alteri feceris.* Aliorum *uxores dum nostræ grandescant, solicitamus, corrumpimus, & adulteramus: non aberunt qui nostras grandiusculas factas solicitent, corrumpant, & adulterent.* Enimuerò *iustum, ac legitimũ, ex* Platonicorum *sententia, nubendi tempus, in puella uigesimo anno constituamus: in masculo trigesimo.* Ex Peripateticorum *uerò dogmate decimus octauus annus filiabus est cõsecrandus, masculis trigesimus sextus, aut septimus.*

Nostri Iurisconsulti *in fœmina duodecimũ, in masculo decimum quartum ad matrimonium contrahendum constituerũt: qua in re uideant obsecro (salua tamẽ illorũ pace) an nõ moueantur magis alicuius rei, ut hæreditatis, uel patrimonij habendi, aut conseruandi desiderio, quàm sobolis generandæ.* Quicquid *enim neoterici nostri, uel physici, uel medici blatiant, id ætatis tempus mihi prorsus ad generandum dissentaneum omnino censendum est: aut si quid ex talibus paulò*

magis quàm infantibus, uel pueris (quod rarò accidit) generatur, aut tollitur. Nanum quoddam & pygmæo simile aut puerile tum corpore, tum animo toto tempore eius uitæ futurum est. Refert Bartolus noster quendam nouenarium puerum grauidam nutricem effecisse, quod an uerum sit, nescio: mihi non fit uerisimile: sed à ueritate longè abest. Erat forsitan uel bonus mulio uel opilio: at uiderit ipse. Quocirca hic toto quidem animo (reiecta nostrorum iurisconsultorum sententia) Platonicis consentio, uel Peripateticis: talia enim futura sunt principiata, qualia eorum erant principia. Si ergo sunt uel pueri, uel infantes principia, & pueri, & infantes principiata futura sunt. Dicant mihi quæso nostri Iuriscõsulti & matrimonij legum sancitores, Si Peripateticorum, aut Platonicorum ad incundum coniugium tempus expectaremus cum utriusq; tamẽ integritate, uel fide: si primos uiriles, & mulicbres congressus ad id ætatis quæ uirilis esse incipit, differremus, an non futuri essent liberi grandiores, robustiores, tum fortiores, & animo & corpore? atque ingenio acutiores, & uita longiores? Sed malo nostro, totiusq; humanæ, nedum Christianæ Reipub. detrimẽto, uixdum infantiam egreßi concumbimus, uixdum pueri, aut ephebi, auaritia quadam, ut opimæ apparentis dotis, uel hæreditatis desiderio matrimonium celebramus, qualesnam igitur aut quanti nascentur liberi? nanos nascituros & pygmæos conijcimus.

In procreãdis deniq; liberis, uel in cõgreßibus ineundis, physici, & medici tẽpus, aërisq; dispositionem obseruant, ut uernum, & autumnale tempus, quàm hybernum uel æstiuũ, & syncerum, quàm nubilum ad prolem generandam accommodatius esse prædicent, determinentq;. Id quod, tametsi cõsentaneum uero esse apparet, ad medicos tamen, & physicos remittimus. Hæc autem de coniugum annis, tum tempore

pore ineundi connubij ſuperius forſitan libro primo ſecundo capite concinnius uidebantur explicanda. Nos *tamen huc de induſtria tranſtulimus.* Hinc *ergo accipiãt,qui ſibi ulli futura commoditati proſpicient,& ad tertium huius tranſeamus.*

AD III. CAPVT.

Hoc tertium caput continet hiſtorias Vlyßis, *&* Agamemnonis:*quarum altera illum fidem in coniugio perſeruaſſe,altera hunc uiolaſſe oſtendit.Septimam ergo legem ponentes concluſimus,maritum ſuam uxorem amare debere cum pudore,& uerecũdia,ut ne metum quidem incũtiat, ſed quia pudor & uerecundia timore quodam honeſto carere non ſolent,maritus amans uxorem cum pudore,dicitur amare cum timore,ſicut* Helena *(cuius etiam hîc meminit)ſocerum* Priamum *amauit,ſicut* Vlyſſes Nauſicaam.Textus *autem planus eſt,ut lectione magis quàm expoſitione uideatur eſſe opus.* Legamus *igitur , deinde annotabimus , quæ digna notatione cenſebimus.Sequatur ergo textus.*

Iam neque amorem &c.

Ait *itaque,* Iam *conſtat ex* Homero *, neque amorem neque timorem in coniugio ſine uerecundia laudabilem eſſe, ſed amandum eſt cum modeſtia , & pudore.* Nam *, inquit,* Helena Priamum *ſocerum amauit , ut charum, metuendum ac tremendum nominauerit , quo ſignificatur ex* Homeri *ſententia amorem non eſſe ſine timore laudabilem.* Ametur *itaque inter coniuges cum timore.* Nam *ſi* Priamum *non cõiugem ſed ſocerum duntaxat,atq; forſan non ſocerum,ſed* Paridis *patrem cum timore amabat, quanto magis* Menelaus *coniux cum timore,metuq; amandus fuerat?*

Rurſus uerò &c.

Vlyſſes, *inquit,* Nauſicaam *admiratus eſt cum timore,*

quanto

quantò magis admirari, & amare debebat Penelopen cum timore? Historia uerò de Vlysse & Nausicaa talis est: (sunt autem qui Nausitheam dicunt.) Ille cum à bello Troiano rediret, naufragium faciens, in terram exijt, ubi cum nudus in litore arborum frondibus circuntectus delitesceret, forte fortuna Nausithea Alcionis regis filia innumeris circunsepta pedissequis ad fontem pedes lotura uenit, quam ille animaduertens, supplex rubore suffusus exorauit, ut uestes, ac cibum dederit, eumq; in regiam ducendum mandauerit, ac ductum, uiribusq; refectum, in maritum, & regni consortem postulauerit. Vlysses autem Penelopes uxoris fidei & amoris conscius nihilo magis Reginæ muneribus tum regno motus, nouam coniugem, tametsi reginam, despuit & tamen amabat, et metuebat, ut ex Homeri uersu liquet. Aiebat enim Vlysses ad Nausicaam, Te mulier ualde equidem admiror, & metuo. Verbum enim admiror amorem significat. Nam admiramur neminem, quem odimus: sed quem amamus, quasi suspicientes admiramur, ut admirationis affectus amori & timori sit coniunctißimus. Si ergo Vlysses extraneam fœminam admirabatur & metuebat, multo magis & amore, & metu Penelope digna fuit.

Agamemnonem &c.

Agammenonis historiam notam esse opinor tibi maximè, qui frequens uersaris in historia. Paucis tamen uerbis, quatenus hîc loci necessariũ est, refero. Agamẽnon ergo Rex Argiuorum frater Menelai in Græcorum expeditionem aduersum Troianos pro Helena fratris coniuge uendicanda profectus, multo secus atque Vlysses egit: oblitus enim fidei, tum amoris coniugalis, & liberorum, quibus Clytemnestræ coniugi iureiurando deuinctus erat, in Chryseidem Troianã, & barbaram & captiuam factam exarsit, atque potitus est. Cui

est. Cuius detestandi facinoris dum criminaretur, purgatione uti uolens, ausus est dicere, Chryseidem, tametsi barbaram, & seruam, nullo deteriorem esse Clytemnestra. Quæ tamen criminis excusatio magis illum criminata est. Nam si uxori fidem non fregisset, tale de Chryseide barbara, & serua iudicium nullo fecisset modo, ut cuius amplexum, congressum'ue non expertus esset. Occisus tandem fuit superis permittentibus à Clytemnestra uxore, iniuriam forsitan uindicare uolente, cuius quidem cædis meminit Seneca in Agamemnone his uersibus:

Adest cruenta coniugis uictrix sui,
Et signa cædis ueste maculata gerit.
Manus recenti sanguine etiam num madent.
Vultusq; præ se scelera truculenti ferunt.

At Vlysses &c.

Alteram historiam Vlyßis, quæ manifesta est ex Homero in Odyssea hìc uidetur ponere, quæ talis est, Vlysses ad filiã Atlantis Calypso nomine in Ogygiam insulam maris tempestate pulsus, ibiq; eius precibus uel forsitan ui septennium commoratus, Penelopen tamen cõiugem nequaquam est oblitus: adeò ut tametsi Calypso sempiternitatem polliceretur, maluit uxoris affectum non prodere, sed amorem, & fidem coniugalem retinere, quàm ex uitio fieri immortalis: maximum supplicium arbitratus, si malus immortalitatem consequeretur.

Cum Circe &c.

Altera historia est de Circe & Vlysse: illam Solis fabulantur fuisse filiam. Cuiuscunque autem fuerit, ex libris constat nobilem, insignemq; meretricẽ extitisse. Eius uerò, tantam fabulantur uel pulchritudinem, uel potentiam fuisse, ut hos in ursos, illos in lupos, hos in porcos, illos in capros,

aut similes animantium figuras, transformaret. Ad quam cum Vlysses ui uentorum delatus esset, eius socijs in nouas formas trãsmutatis, solus Mercurij beneficio uniformis permansit, nulloq́; mutatus est modo: quin ad Circen stricto ense appropinquans, coëgit in pristinam formam socios eius restituere, & reformare. Quo facto initaq; pace, Circe uirum multis, magnisq́; muneribus tum diuinitate oblata retinere pertentauit. Ille uerò Penelopen, Telemachum filium, Laërtem patrem, & Itacham patriam habens in memoria, diuinitatem promissam, nedum munera despexit, & mox digressus ad charam redijt tum coniugem, tum patriam. Huius autem coniugis & patriæ antelationis meminit Cicero in secundo de legibus his uerbis: Ille sapientissimus uir Ithacam ut uideret, immortalitatem scribitur repudiasse. Aliorum, quæ de Vlysse feruntur celebre testimonium reddit Homerus in Odyssea, quorum meminit quoque Bocatius [a] in genealogijs. Sed fabulis ferè omnia sunt plena. In confesso tamen est, receptumq́; apud omnes, Vlyssem summa fide & amore uxorem Penelopen amauisse, similiq; uicißim affectu redamatum extitisse. Ex quo manifestum est memoria quidem perpetua tenendum esse (ut refert Homerus, utq; nulli non constat) nihil in re familiari melius posse contingere, quàm ut uoluntate unanimi, & concordi sententia uir, & uxor domum gubernent. Vnanimem autem & concordem uoluntatem appello, quæ coniuncta prudentia & iustitia circa id quod decet, & honestum est uersatur. Nam si uersentur circa inhonesta, unanimes non sunt unanimes, esto quòd in idem consentiant. Malum enim animum nequaquam animi nomine dignum existimo.

a cap.40.li.11.

Idem etiam &c.

Multæ ex Homeri sententia abs tali unanimi uoluntate

tate commoditates proficiſcuntur. Primò enim inimici anguntur: Secundò amici permagnam uoluptatem percipiunt, ſummeq́; delectantur. Tertiò quicquid tales loquuntur, illis ſumma fides ab amicis haberi ſolet. Quartò concordia potentes fiunt. Res enim paruæ (Salluſtio referente, ac ueritas eſt) creſcunt concordia: magnæ uerò diſcordia collabuntur. Quintò potentes ex tali concordia facti ſpem auferunt inimicis. Sextò amicis proſunt, haud quidem ita facturi diſsidentes. Nam & inimici diſsidebunt ab illis: ac utrique infirmitates ſentient. Quocirca præcipit (inquit) poëta ut uir & uxor in ijs, quæ proba ſunt, & honeſta, unanimes conſentiant, ſummo, eodemq́; uno animo deuinciantur. In ijs autem, quæ improba ſunt, uel impudica, inuicem ſibi conſentire nequaquam debent, ſed omnino contradicere contraq́; ſentire. Enimuerò quod de Pythone Rhetore fertur, ut ad coniugalem concordiam maximè pertinens, hîc recenſere minime inconcinnum eſſe apparet. Ferunt ergo illum quum eſſet ſupra modum obeſo corpore, uentreq́; prominente, ac Bizantijs ciuili ſeditione tumultuantibus, in concionem de concordia dicturus prodijſſet, atq; interim cõtinuò populi riſus ex ipſius dicere uolẽtis corporis habitudine obortus eſſet, riſum ſeriã in rem his uerbis cõuertiſſe: Ridetis ciues, cũ tale corpus habeã: uxorẽ uerò multo me obeſiorẽ ſum nactus, & tamẽ cõcordes quoduis grabatulũ ambos capit: at diſcordes, ne tota quidem domus caperet. Atq; ita Bizantijs ad concordiam perſuaſis, tum perductis, abijt: demumq́; ipſum Bizantium mirũ in modũ locupletatũ, & proſperatum fuit. Diſcordiam enim perturbatio ſequitur, & confuſio. beneficiũ tollitur, & gratia: quæ concordiæ Cicerone [a] teſte ac proſperitatis ſunt amœna uincula. Itaq; maritus & uxor cõcordiã amplexẽtur, ut eã nũquã elabi prætermittãt. Ita enim fiet, ut domum,

[a] in ij. de fini. bon. & mal.

mum, familiamq; facile iri augmentatum prospectabunt. Sed ad ultimum caput.

AD IIII. ET VLT. CAPVT.

PRincipium huius capitis incōcinnè seiunctum uidetur à præcedenti. Alterū enim membrū Homericæ præceptionis cōtinet. Præcipiebat enim Homerus, ut maritus & uxor in ijs, quæ improba, & impudica sunt, nequaquam consentirent. In ijs autem quæ pudica, & iusta sunt concordes essent: sibiq; uicißim studerent, ac niterentur inseruire. Hoc ergo modo huius capitis principiū præcedentis fini cōiungendum apparet. Sed tamen nihil moror. Positis igitur superius particularibus legibus, quæ sunt propriæ uxoris, & quæ mariti, aßignantur hîc leges, quæ utriusque communes esse debent. Textum autem legamus.

In his uerò &c.

Quæ igitur proba & honesta sunt, maritus & uxor laudent, & in his consentiant: quæ improba, reijciant, alteroq; forsitan marito uel uxore approbante, alter dissentiat.

Primo quidem &c.

Prima lex communis inter maritum & uxorem sit, ut uterque alterius parentes perinde ac proprios ueneretur, & amet, etiam cum timore. Secunda, ut communes filios, & communes amicos, ac res communes ament communiter, & communem agant curam, atque inter se disputēt, certent'ue, uter magis amauerit, & magis curauerit, attulerit'ue, aut domum auctiorem effecerit, atque id quidem sine superbia, non ut quædam, quā nomine quidem & moribus cognouimus, quæ cùm paulò esset marito pecunia ditior, quoties contingebat maritum succensere, ut superba dotem exprobrabat, his uerbis, Ecquid bone uir, si tua impensa prandeo, annon uicißim tu & merendas, & cœnas mea? annon

cubas, & dormis mea? apage ne me amplius molesta, mastigia, uerbero. Me abs tali Dominus Deus uxore auertat. Nã *si contingeret,* Dominum Deum *precarer, ut mitem & humilem faceret.* Quòd *si non flecteretur, neque mitis fieret uxor, nescio an non iuberem sarcinulas* colligere, & *abire cum superba dote.* Communem *igitur rem cum benignitate & mansuetudine, seposita superbia, gubernent, ut senes facti administratione deposita, & filijs quos communiter instituerint, commissa, rationem quodammodo uter eorum diligentior in re multiplicanda domestica extiterit, reddant. Ita enim fiet, ut quæ ipsi iuuenes fecerint, recensendo filijs, hi quod malum per fortunam parentibus acciderit, & quod bonum per uirtutem intelligent, fientq; ad rem gerendam tum eruditiores, tum prudentiores.* Tertiam *legem addendam putamus. Si contingat, ut sæpe accidit, alterum ex coniugibus ex prædefuncto coniuge liberos habere proprios, aut bona, putà prædia urbana, uel rustica, uterque communiter amet, & colat, quasi neutrius essent proprij, uel propria.*

In quibus qui superauerit &c.

Duo *ponuntur præmia, quæ dij largiuntur ijs, qui rem suam bene administrauerint, & filios instituerint.* Primum *est lætitia quædam rerum bene gestarum & administratarum in iuuentute.* Talis *enim recordatio multiplicem uoluptatem generat.* Secundum *est, quòd senes facti fœliciter à filijs educantur.*

Quapropter &c.

Concludit, *eum qui uitam siue domesticam, siue publicam agere instituit, primo loco ad* Deos *respicere debere:* Secundo *ad homines, hoc est ad* Rempub. Tertio *loco ad uxorem, filios, & parentes.* Quòd *si argumentandum sit ab ordine, uidetur hîc* Aristoteles *præferre uxorẽ liberis, & parenti-*

 bus,

bus, quandoquidem primo nominata est loco contra ea quæ determinata fuerunt in Ethicis. Sed dicamus secundum quid præferendam esse, puta generationis causa. Magis autem amandi sunt parentes, & liberi, quàm uxor. Parentes quidem, ut quibus magis debeamus, quoniam sunt causa nostri. Liberi uerò, ut qui uideantur esse nosipsi, sunt enim pars, & membra nostri corporis, ut nostra uideantur uiscera.

Hæc sint ad hoc ultimum caput primi libri Oeconomicorum Aristotelis, aut secundi ad uersionem Leonardi Aretini dicta satis. Crastino die in Epilogum quàm breuißimè fieri poterit, quicquid hactenus dictum est, saltem per capita contrahemus. Interim uerò ita nostram uitam cum uxoribus instituamus, ut senes facti ad simulem peragendam liberos nostros inuitemus, & exhortemur, ac quasi natiuis, tum gentilibus exemplis cogamus, patres nostros, auos, proauos, abauos, tritauos, atauos, deniq; maiorũ nostrorũ stẽmata, & imagines, claritudines, celebritates, magnanimitates, in summa uirilia facta, uiriles actiones, illis frequenter ob oculos ponamus, eorumq́; imprimamus menti, ut in illis sint toti. Mouebuntur enim talibus, uelut ad quàm optimè agendum exemplaribus. Hæc sint igitur ad Secundum librum Oeconomicorum Aristotelis sufficienter dicta.

EPILOGVS DECEM CAPITVM PRIMI LIbri *Oeconomicorum Aristotelis.*

DIVISA *igitur Aristotelis Oeconomia secundum Fabrum Stapulensem in duos libros: nos Leonardum Aretinum, qui primum uertit, & in duos partitus est, sequentes operæpretium esse putauimus paucis comprehendere, & quodammodo in pugnũ contrahere, quæ*

ambobus libris Leonardi in decem distributis capita, longiori sermone tradidimus: ut saltem (quoniam omnium meminisse diuinitatis est) singulorum capitum summã constanter nobiscum referamus. Primo ergo capite differentias aßignauimus inter ciuitatem & domum: quæ differre diximus secundum prius, & posterius, & ut pars cum toto. atque in quarum altera, nempe in domo, unus duntaxat dominatur, in altera plures. Secundo, ex Aristotelis sententia duas partes domus constituimus, hominem & poßeßionem. sub homine autem utrunque comprehendimus maritum & uxorem. sub poßeßione uerò complexum est omne id, cuius causa proficimus: unde inimicos nonnunquam in poßeßionum numero collocandos esse determinauimus. econtrariò uel maximè amicos, interdum non poßeßiones appellamus. Tertiam partem addidimus, quod bene & concorditer uiuere fuit. Tertio primam omnium patrisfamilias curam esse diximus circa instituendam uxorem, ut ex illa quàm optimi filij generentur. Ex qua quidem generatione, tum generatorũ nutritione, & institutione plurimæ consequuntur commoditates, de quibus ibi. Quarto determinauimus, maritũ nullo modo iniuriũ esse debere uxori, sed qualẽ desiderat castam, integram, & obsequiosam, talẽ se uicißim omni cũ integritate præstet. Quinto primum patrisfamilias esse diximus, plurimos seruos: hos qui sint uicarij, istos qui operarij, poßidere, quibus dominũ quodam deuinctũ modo ad cibum, opus, & castigationẽ præstandam determinauimus. Quæ seruorum genera optima essent, elucidauimus. Sexto circa alias poßeßiones inter prima esse diximus dispositionem, & rerum, tum negotiorum segregationem. Disponenda enim sunt singula per species, uel genera ad rei rationem, tum loci. Prædia uerò uestigijs domini pinguescere, & animatas poßeßiones, quales esse

diximus equos, cæteraq; animantia oculis etiam domini pinguescere definiuimus. Septimo autem capite (quod ad uersionem Leonardi est primum secundi libri) leges uxoris erga uirum declarauimus, quarum inter primas illam esse putamus, ut uxor tametsi maritum rixosum, uel parum pudicum sortita fuerit, in coniugali tamen fide perstet, preceturq; Deum, ut melior fiat. Octauo leges uiri erga uxorem ponentes, determinauimus uirum nullo modo neq; re, neq; uerbo uxori molestum esse debere, sed amare etiam cum metu & pudore. Nono Vlyßis in coniugio fidem commendantes, Agamemnonis perfidiam erga Clytemnestram uxorem sumus detestati. Decimo tres leges mariti & uxoris communes declarauimus. Quibus ita peractis, supererat ut ad secundum librum Aristotelis trãsitum faceremus. Enimuerò quoniam, ut solas historias continens, nullius artis esse apparet præter id quòd Aristotelis esse pleriq; Fabro non consentiũt, haud quidem est quod in eo tempus commodioribus lectionibus reseruandum, insumamus. Quare hæc sint ad Oeconomiam Aristotelis dicta satis: quæ si per patremfamil. animaduertantur exactè, fieri nõ potest, quin eius domus prospe retur & amplificetur. Quòd si quis exactius, aut magis particulatim de singulis rebus, quæ domum amplificant, putà de singulorum animalium generibus multiplicandis, & cõseruandis, deq; singulis granorum, uitium, aut arborum speciebus, de singulis prædiorum, aut fundorum qualitatibus, de proscindendi, arandi, serendi, metendi, plantandi, fructusq; colligẽdi tempore, scire desideret, habeat Columellã, Marcũ Varronẽ, Palladiũ & Pliniũ in historia naturali. De quibus, quantum satis esse uidebitur, adipisci licebit. Hæc sint igitur dicta satis, in quibus si quid peccatum est, ne obsecro, uoluntati meæ, quæ in te semper candida fuit, adscriptum uelis.

Sed

Sed tamen quoniã superius secundo capite huius libri, de mutua inter coniuges habenda fide agentes, has nostras Oeconomicas prælectiones iucundo sermone, faceta'ue (neque tamen omni ex parte inutili) quæstione promisimus terminare, quærentes ambigamus, Num ex similitudine, uel dissimilitudine, qua nobis maritis interdum sunt ex uxoribus nati, sit de his sinistrè suspicandum. Nostrarum legum interpretes (maximeq; is,[a] cuius cognomentum à cæpa, diminutiuum est nomen) & uulgus ex diametro pugnant. Illi, Quò, inquiunt, filius est magis persimilis marito, matris hòc minus legitimus censendus est. Vulgus autem contrà sentit: atque ita, ut qui sunt maritis similiores, hos magis affirment legitimos esse: & consequenter digniores qui uehementius à maritis amentur, tum in hæreditatem succedant. Attamen quia mihi permittis, & per tempus licet, hanc ad rem haud quidem inconcinnam fabellam, historiæ tamen loco acceptam, & qua nostri suam tueantur sententiam, recitabo. Quædam ergo subrustica, ut uillana, mulier, cuius longum iam tempus absens maritus erat, & negotiosus in urbe agebat, cùm in syluis & montibus nonnunquàm uersaretur, forteq; fortuna in talibus quidam barbatus, tum caput detonsus Eremita, malè, perperamq; anteactorum in bello forsan pœnitens, aut simulans pœnitere, monasticam uitam ageret, uterque tandem alterius desiderio captus, amore mutuo permoti appropinquarunt, adeo, ut ex huiusmodi appropinquatione mulier reuersa sit in uillam grauida facta. Quæ nono tandem mense pòst parturiens cùm obstetricem accersiri mandasset, hæc accurrit properè, laborantem, enitentem, & exclamantem animat, adiuuat, solatur, ac demum uagientem infantem excipit. Præterea ut grato sermone aliqua ex parte matrem dolore leuaret, gratum'ue faceret, proclamare cœpit, Heus Dij

a In l. ostenti de uerbo. & rer. sign.

boni quàm patri ſimili puer eſt natus. Euge bona mulier, euge inquàm, nam non eſt, ad me recipio, ſpurius tuus, hic filius. Perſimilis enim eſt patri (uillanum maritum intelligẽs). legitimus, inquit, eſt puer tum hæreditate digniſsimus. Quo uerbo mater magis atq; magis commota, ut ſui, tum adulterij, & Eremitanæ appropinquationis conſcia, Hei mihi, ait incauta, etiam'ne barbam gerit, & detonſum caput? Abſit, inquit obſtetrix, num eius detonſus eſt pater? Tuo eſt Bertulpho perſimilis. Hinc ergo ne iniuria quidem ambigendum apparet ſuper ſimilitudine, qua ſunt interdum infantes maritis matrum. Vt enim noſtrorum dogmate uel ſententia conſtat, quo illis magis ſimiles eſſe conſpiciuntur, eò minus legitimos cenſendos coopinantur. Vulgus autem è regione pugnat. Nos uerò utram in ſententiam ibimus? Hinc trahunt noſtri, hinc uulgus retrahit. Amici quidem ſunt noſtri, magis autẽ hic uulgus amicũ cenſendum puto, ut cuius ſentẽtiæ magis hærendum eſſe determinem. Sed tamẽ iocandi gratia, quod noſtri non ſyllogiſant, nos in ſyllogiſmum deducamus, ac nõ quidem fabella, ſed ueriſimili, ac phyſico fortaſſe axiomate comprobemus hoc modo: Talia ſunt generata, qualia ſunt ea, in quæ generantes intendunt: Sed uxor cum adultero generans maximè in maritum intendit: ergo conſequens eſt, ut quod generatur, imprimis marito, in quem mater generãs intendebat, futurum ſit perſimile. Et tamen conſtat nequaquàm filium eſſe mariti, ſed illegitimum prorſus, & adulterinum. Maiorem huius ſyllogiſmi forſitan probaremus nos, ex trigeſimo capite Geneſeos, de ouibus Iacob, quibus generantibus, dum in canalibus uirgæ populeæ & amygdalinæ partim uirides, partim detractis corticibus eſſent ob oculos poſitæ: ut in eas diuerſicolores generantes intenderent, ſequutum eſt, ut quod generatum fuit, eorundem, ideſt diuer-

ſorum

sorum colorum, qualium erant uirgæ, prodierit in lucem. Ex quo apparet, constatq́;, talia esse generata, qualia sunt ea, in quæ generantes intendunt. Minorem autem nostri prolo- quij uel argumentationis, scilicet quòd uxor cum adultero generans in maritum intendat maximè à uerisimili mente uxoris patientis, tum adulterium committentis, probare li- cet. Est enim commune uerisimile, ut in eum imprimis maxi- mè intendamus malè agentes, abs quo deprehẽdi antè omnes extimemus. Sed uxor adulterans, imprimis timet, ne à mari- to cui facit iniuriam, deprehendatur, ab eoq́; uel occidatur, uel saltem libellum repudij patiatur: ergo &c. Probatis igi- tur maiore & minore syllogismi, constat ueram esse conclu- sionem, scilicet, Filios quò magis similes sunt matrum mari- tis, eò minus legitimos censendos esse. Vulgus autem contrà pugnat: & nos quod decet, honestumq́; uidetur, & est, de- siderantes imprimis tum coniugalem amicitiam, aut concor- diam prædicantes, sequamur uulgus, nostrosq́; omnino hoc in loco, ut fidei coniugalis nimium osores, reijciamus. Nam præter quòd superius dictum de Eremita fabula est, tum mu- liebris, tum anilis, de irrationali ad rationale nequaquam procedit argumentatio. illud enim hoc duntaxat ob oculos habet, quod præsens conspicit: homo uerò, qui rationis est particesp, per quam & antecedentia & consequentia illi præsentia fiunt: in diuersas præsentes uel absentes par- tes mentis conceptus aut oculos etiam generans trans- fert. Hinc fit, ut uxor cum marito generans, nunc auo materno, nunc paterno, nunc fratri, nũc sorori, nunc sibi, nũc marito, nũc alij similem filiũ generet. Ecquid si dijs placet num uxores deteriore natura, quàm oues Iacob natas esse di- cemus? oues quod ob oculos habent, illi simile generabunt, & uxor ob oculos tum mentis tum corporis maritum ha-

bens, marito generabit dißimile? Neq; *tamẽ hoc perpetuum uidetur.* Nam *quid si appropinquans marito, ut nimium religiosa, de cõfessario cogitet, de auo, de Cæsare, de* Rege, *num propterea similem confessario, auo, Cæsari, aut* Regi *generabit? etsi forte generet, num statim argumentandum erit confessarij, aui, Cæsaris, aut* Regis *filium esse?* Quid *si generans cogitet uel* Platonem, Aristotelem, Ciceronem, *num est enixura tales? quòd si contingeret scilicet, ut talia essent generata, qualia sunt ea, in quæ generantes intendunt, & quis in elegantes tum uiros, tum fœminas, doctos, sapientes, dei amatores, fortes, facundos, & similes generans non intenderet, ut tales euaderent generati? omnes profecto* Parides, Helenas Cicerones, Salomones, Paulos, Samsones, Nestores, *aut* Vlysses *generaremus.* Quid *si uxorem nostram, paulò antè quàm appropinquaret, lupi uidêre priores, ut eatenus appropinquans intremiscat, & in lupos intendat, num his similes generabit?* Quid *si mulier* Helenam *cogitet, maritus autem* Paridem? *num* Hermaphroditũ, *aut utrunq; &* Helenam & Paridem *generabũt? absit.* Fallax *ergo est, & inconstans nostræ superius dictæ argumentationis maior propositio. unde hallucinantur, nimiumq; fidei coniugalis sunt osores nostri iurisconsulti, qua parte consentiunt, concludunt'ue, filios ex similitudine, aut dißimilitudine mariti matris legitimos censendos esse, uel non censendos.* Diceret *autem aliquis,* Vnde *igitur isthæc natorum diuersitas, ut unus similis, alter dissimilis innascatur?* Ego *talem dicentem uicißim rogo, unde quòd hic gibber nascitur, ille planus sine struma, gibboq;: unde quòd hic claudus, ille rectus: hic monoculus, ille duorum oculorum: hic stultus euasurus, ille sapiens: hic masculus, illa fœmella: hic futurus ad generandum potens, ille secus? hæc breuiter, aut similia, nobis sunt abdita, soli uerò naturæ,*

uni'ue

uni'ue Deo manifesta. Istis igitur inanibus cogitamentis missis factis, constemus in coniugio fidi, talesq́; ut minimum bonas, tum fidas uxores esse præsumamus, quales nos maritos gerimus, & præstamus: ut quidquid & qualequale nobis uxor pepererit, ut nostrum foueamus, amemus, educemus, & instituamus: id quod plurimum efficiet, ut ad illum tandem finem domesticum nos peruenisse constabit. Sed ut ad iocum, abs quo diuerteramus, reditus fiat: Non'ne nostri etiam Põtificij iuris consulti præcipiunt, ut si uiderimus clericum mulierem amplectentem, benedicendi causa fieri præsumamus? quanto minus malè nostra de uxore præsumendum est? Cessent itaque si tamen boni uiri sumus, sinistræ de nostris uxoribus (nostris, inquam, uel re ipsa, uel spe) præsumptiones: nam si & bonæ, & fidæ sint coniuges, & malè præsumpserimus tales, tales fortasse fient, quales esse præsumemus. Sed hîc tandem nostrarum Oeconomicarum prælectiones, in laudem Dei qui nos conseruet, terminentur.

AD CLARISS. IVRECONSVLTOS IOAN. SADVM, ET FRAN. CLARETVM AVENIONENSES.

HAEC SVNT, quæ abhinc annos nouem magnifico Paulo Antonio, mihi & honorãdo, & amando perpetuò, domi priuatim diximus: quæ annon cùm loco, tum meæ ipsius ætati, uel occupationibus responderent, uestrum sit iudicium. Qualia uerò qualia sint, uobis suo cum autore rursus deduntur. Hic enim ut scitis, uester fuit, uesterq; futurus est, dum uiuet, dumq;, ut aiunt, hos artus spiritus reget. Publica uerò fieri uolui, partim ut me in uirtutum amore continerent, partim ut mihi non nequicquam exactæ omnino adulescentiæ testimonium redderent. Dicent aliqui fortasse, tenuia sunt magis, quàm ut emitti deberent. Sed abs talibus exigo, si quis Pontificium, uel Cæsareum, aut Regium palatium ædificare non potest, num illi sub dio manendum esse, aut dormiendum iudicabunt? an non saltem plebeiam domum, uel tugurium toto construendum opere laborabunt persuadere? Et mihi, etsi Ciceronem, uel alium quemlibet longe stantem, non assequor in scribendo, uitio uertetur, si prælectionum earundem priuatarum decoro seruato id ago quod possum? Vos ergo charissimi mei Domini, boni consulite, & uirtutem amare pergite, ne uos succedentibus annis decrepitos factos minus sapere iudicent, quàm adulescentes sapiatis, aut sapiuistis infantes. Bene ualete. Lugduni Calend. Nouembribus.

HECTOR

HECTOR FORESTVS VASIONENSIS

Gulielmo Marsono, parocho, cùm docto, tum uigili & bono

S. P. D.

TV scis charißime Marsone, an non plerisq; ijsdē uiris doctis, cùm istic essem, nostras prælectiones cōmunicauerim: & an nō unanimes omnes, ut emitterem, consenserint. Quo autem tandem animo factū fuerit, ut de plurimis unus, longo tempore pòst ad me, cùm iam eius imprimis fretus consilio bonam partem emisissem, scripserit, ne ita emitterem, nescio. Ait uerò is quædam in illis esse magis adulantem, quàm sincerū uirum redolentia. Quo equidem uerbo uehementer commotus fui. Vnde statim mecum cogitare, tum in animo uoluere cœpi, ubinam loci ego, qui (ut scis) adulatores quàm maximè detestatus sum, nihilq; magis abhorreo, quàm ab inanibus & adulatorijs uerbis, in adulationem incidissem. Ac tandem mecum repensatis omnibus, nullus omnino locus, non tantum caret, aut carere apparet adulatione, sed etiam eius suspicionis notulæ: nihilq; mirū, qui semper ex candidi animi sententia sim loquutus. Neq; quicquam minus mihi unquam obrepsit, quàm mentiendo delectare. Dicat autem mihi (amabo) noster amicus, si episcopos in Oeconomia nostra ecclesiastica, ut maritos, aut œconomos, uel patresfamilias hos doctos, prudentes, tum uigilantes, & importantes nominabam, & erant: istos segnes & negligentes, ac domini Dei nostri domum depauperantes (tametsi sine nomine) redarguebam, uel uigilantiæ, tum sui quenq; officij admonebam: hoccine adulatorium est?

Si alios

Si alios uel uiros factos, uel adhuc adulescentes studiosos, ingeniosos, Bene natos, probeq; institutos: alios liberales, magnificos, magnanimos, alios physicos, uniuersaliter doctos, & rerum causas cum effectibus scientes appellabam, haeccine adulatoria esse iudicabunt, sunt'ue? An non est in confesso tales esse, quales dicimus? Quòd si sunt, ubinam est adulationis suspicio? At cedo (ut scribenti amico & hîc gratum faciam) tales non esse, & cùm se eiusmodi esse debere pernouerint, ut ipsi sui conscij, an non tales fieri summopere, quales esse creduntur, procurabunt? Et hîc me multùm promouisse quisnam ibit inficias? Praetereà si sunt, ne tales esse desinant, summa est illis cautio futura: ne de senibus, aut decrepitis factis, deterius feratur iudicium quàm de iuuenibus, quàm de adolescentibus, quàm de pueris, deniq; quàm de infantibus. Etenim uerebuntur ipsi, ne magis sapiuisse infantes censeantur, quàm senes, uel decrepiti facti sapiant. Atque ita cum uirtute semper accuratè agere laborabunt. ego quidem laudare iuuenem cum modestia, etsi forsan sit indignus laude, nihil aliud esse opinor, quàm admonere, ut se laude dignum praestet. Laudare uerò senem, si mereatur, admonitio est non commutandae uitae: si non mereatur, commutandae. Quò fit, charißime Marsone, ut non merentem laudare mallem, quàm qui uituperio dignus est, illum probro afficere. Sed Oeconomiam ecclesiasticam non enutto, qua forsan parte, ad me scribenti amico gratum factum fuerit. Causam autem praesens istic superis adiuuantibus circa Idus Nouembris dicam. Desidero uerò adhuc uerbum scribere. Quidnam putas ad nostras iuuentutis, tum adolescentiae, in Aristotelem praelectiones, uel nugas, etiam quales fuerunt emittere me commouit, atque impulit, quàm si quando senescemus, ut sit nobis tum iuuentutis, tum adolescentiae dulcis recordatio? atq; etiam bonis in literis uinculum futurum per-

petuum? An non me admonebunt, ut ſenex factus, uirtutem uerear contemnere, cuius etiam adoleſcentem, ſaltem aliqua ex parte, uel ſtudioſum, uel ambitioſum (laudabilis enim talis eſt ambitio) extitiſſe apparebit? Hæc mediusfidius unica fuit cauſa mouens, non uel laudis affectatio, uel deſiderium lucri. Illis enim utrunque relinquo, quorum imagines lambunt hederæ ſequaces. Nam rem noſtram tum lucro, tum laude indignã eſſe nemo eſt qui nõ agnoſcat. Tu ergo ſi quid quoq; habes, etenim habes, nam nequicquam adoleſcentiam non præterijſti, meo exemplo emittas ſuadeo, ac ſine, ut uulgus blatiat. Nullius enim ſunt prorſus iudicij homines, qui contemnunt etiã fabellas, modò non inſanas, emittere: ſobrius tamen ſis in emittendo, ne domino Deo, eius'ue religioni, aut principi, uel Reipublicæ, tum proximo detrahas. Et ſine tum ut obloquantur nugones, ac quantũ uolent cachinnẽtur, ſunt enim (quod noſtri, ut ſcis aiunt) olitoris cani perſimiles. Hic nec porros mercatur, aut ueſcitur, neq; alios comparare permittit. Ita quidam agunt, ut neq; emittant quicquam ipſi, neque alios patiantur emittere. Aut ſtatim emittentes ſubſannant & oblatrant. Talium uerò hominum iudicium ego nihili facio. Bene uale. Age, ut ſoles, tui gregis uigilem curam. A' domino Deo habes, caue ſaltem ne decreſcat numerus. Quinque talenta accepiſti, age ſedulò, ut Domino decẽ reddas. Et eris bonus & fidelis ſeruus, tum ſuper multa conſtituêre, in laudem Dei, qui nos omneis conſeruet. Ego profecto preſbyteros eoſdem parochos uigiles, bonos, tum doctos, qualis es tu, uehementer honoro, amoq;: honorabo, tũ amabo perpetuò: diſsimiles uerò, ſi non odi, uix tamen uel amo, uel honoro: aut ſimulatus, uel inuitus eſt honor. Precor tamen interim dominum Deum, ut cùm honore, tum amore dignos efficiat. Lugduni Calend. Nouemb. M. D. L.

HECT

HECTOR FORESTVS VASIOnensis Clarißimo Iuriſconſulto Iacobo Bryauio Lugdunenſi,

S. P. D.

TAmetſi Pariſiorum Lutetiam ad te ſæpenumero poſt noſtrum reditum ſcripſi, meæ tamen chariſsimæ ſororis deceſsus mẽtionem nequaquam unquam feci: ueritus quidem ut bonus es, tum mihi amicus inter ſummos, ne mecum affecereris moleſtia. Nam amicus, philoſophorum ſententia, & congaudet & condolet amico. Enimuerò tandem mutato animo, permanente tamen amicitia, hîc tibi dictum uolo. Annum ergo ab hinc haud procul ſecundum, mihi dulciſsima ſoror Catharina (cuius, ut ſcis, memoria, tecum frequẽter delectabar in Italia) mortua eſt. Quòd ſi tu, clariſsime doctor, quemadmodum Bononiæ unà cum etiam clariſsimo iuriſconſulto Franciſco Vachono ueſtrum ſub digreſſum deliberatũ erat, per Liguriam, deinde Prouinciã, ac demum per noſtrũ comitatum Venayſsinum, ad tuos Lugdunenſes rediſſes, & Vaſione (recta enim erat uia) ſororem meo ſalutaſſes nomine, ſoror mea Domine, nõ fuiſſet mortua. Tu enim conſeruaſſes. Sed aut tuarum rerum ſucceſſus, in deliberatione cõſtare neutiquam permiſerũt, aut mortalis erat, aut ſic erat in fatis. At non mortua eſt, dormit enim, & nos aliquando cum illa futuri dormientes, in ictu oculi ſimul excitabimur, & exurgemus ſimul. atq; cuius beneficio nunc ad tempus uiuimus, eius ipſius ſolius gratia, in æternum cum eo regnaturi reuiuiſcemus. Deceſsit itaque ſoror, quam trium, quatuor'ue dierum factam uiduam domi reliqueram, illi ad ſummum poſt biennium redire promittens. Quam rem cùm non præſtarem (nullo nanq;, ut ſcis, modo licebat) illa me forſan ſui oblitum

tum factum putans, mori contenta, quartum annum expectare recusans, tertio abijt. Quam cum cæteris mearum rerum iacturam patienter quidem ut possum fero, sperans in Domino. Virgunculam *annorum sexdecim reliquit, quæ ut honesta, matremq; memorans effigie, mihi huius loco in amore futura est.* Illam *enim ex* Platonis *institutione uigenariam superis fortunantibus factam matrimonio collocare cõstitui. Atque tum aliquanto liberior effectus, uel in* Italiam *remigrare, uel* Lutetiam *proficisci deliberabo.* Nam *etiam ipse locus, in quo eius, eius quam præ cæteris dilexeram cernuntur uestigia, mirum me commouet in modum, commouebitq; perpetuò. Quare tum cõmuanda domus erit, ut iam cum* Mœlibeo Vergiliano *coactus dicam,* Nos *patriæ fines, & dulcia linquimus arua:* Nos *patriam fugimus. & uix me à lacrymis temperem. sed*

Defleo adhuc, fleboq; tuum, sine fine recessum
    Chara soror, quondam uiuere dulce fuit.
Dulce fuit quondam, paruos colludere in aluo
    Materna, & grandes uiuere dulce fuit.
Ast inopina mihi rapuit te Parca seuera,
    Et me iam mœstum deserit ista diu.
Extremum, heu doleo, nobis quòd dicere uerbum
    Non licuit, demum claudere saltem oculos.
Fortè hinc crudelem uocitas fratrem, at soror en me
    Respice: nam lacrymis tempora nostra madent.
Tum superos, faxint, ex te quæ nata relicta est,
    Oro, meos oculos claudat, ut illa tuos.
Huc illuc erro mœrens, quòd me mea tædet
    Cernere, nam sine te decidit ecce domus.
Grata domus quondam, poteras iam gratior esse: at
    Vix unquàm fies, tu mihi grata domus.

Ô quàm

O' quàm dulcis eras ambobus Vasio nobis
Patria, sed decuit uiuere utrunq; simul.
Quòd soror, hîc tandem dico, Catharina Foresta
Chara uale, uiua es, non ego, sed morior.

Cesset autem hîc admiratio tua, clarißime domine, quòd Hectorem lacrymantem intelligas. Nam habet quo se tueatur. Non'ne legimus plerosq; uiros tum doctos, tum fortes, alioquin magnos animo, alios parentes, alios filios, filiasq;, alios uxores, fratres, sorores, alios alios, ut amicos, defleuisse? Non'ne legimus Poëtas tum Latinos, tum uulgares, etiam scorta nobilißima quæque uel uilißima deplorasse? Et mihi an non permittis saltem apud te, sororis animæ, quam uiuere credo, elegiacè uale dicere, illam'ue tametsi flebili carmine salutare? Illa enim aut mihi gemella, inquiebant, fuerat, aut me solis nouem duntaxat mensibus anteibat. Quæ affinitatis, uel (ut sic dicam) proximitatis, aut coniunctionis ratio, an nō maiori dilectionis uinculo nos deuinciebat? Sed quiescat in pace, & nos speremus per Christi gratiam aliquando quiescere. De reliquis uerò præsentes agemus hîc Lugduni, ubi magno quidem expectaris desiderio.

Bene uale.

Cal. Septemb.

M. D. L.

HECTOR FORESTVS VASIONENSIS IOANNI CHANDELONO PRESBYTERO MASANENSI S. P. D.

NVDIVSTERTIVS noſtras in Quintum Ethicorũ Ariſtotelis prælectiões abs te rurſus tranſcribendas mandaui: quas ſi iam accepiſti, obſecro, ut in illis mihi tuam operam & fideliſſimam, & citiſſimam præſtes. Ego enim, ſi quando mea uiciſſim egueris, quantula, erit annuam. Quòd autem cùm iſtic eſſem, efflagitaſti, ut illis epigramma præſcribere liceret, cõcedo equidem haud minus bono quàm uolenti animo. Sed tamen hac in re tua intereſſe animaduertere puto, ne noſtræ prælectiones quales fuerunt familiares, & extemporaneæ in alterum, uel Charybdin, uel Scyllam ſecum tuum epigramma deuoluant. Tua ergo perinde atq; mea res agetur, ſi quid de tuo aſcripſeris. Quare age qualis es & prudens, & literarum ſtudioſus: candido enim tuo animo uolenter conſentio. Liminarem autem epiſtolam à me tranſcriptam cum his mitto, ut ab illius tergo epigrãma tuum, ſi placet, reponas. Hoc ſubſequetur formula, uniuerſalem iuſtitiam ſuas in partes diſtribuens, tum lectionum præfatio, ac reliqua quo diſponuntur ordine. Bene uale, Auenione quarto Calend. Decembris,

M. D. X L I X.

IOANNES CHANDELONVS MASANENSIS, HECTORI FORESTO VASIONENSI S. P. D.

HOdie accepi tuas literas, egregie Doctor, quibus nostrã petis operam in rursus transcribẽdo prælectiones illas tuas in Quintum Aristotelis Ethicorum, quæ mihi fuerunt heri duntaxat redditæ. Sed quid petis, cùm poßis accipere, uel hospite insalutato, quod aiunt? Cur rogas, cui potes imperare? Nescio profectò quid respondeam, nisi cum Sosia Terentiano dicam, Si quid est quod tibi mea (si qua est) ars efficere hoc poßit amplius, en utere, nostrisq; omnibus perinde ac tuis. Obsecras, ut faciam, quod mihi non facere tua causa turpißimum esset. Quare omnia relinquam, cùm uti mea uoles opera. Sed interim de tuis alijs scholijs in reliquos nouem libros tam diu retẽtis, quid factum expetis? Sine quæso, sine per ora hominum ferantur. Non enim dubitamus, quin exactè fient abs te omnia. Cæterùm quando ita permittis aliquot ludam carmina, quæ lubens, ut tuis cum scriptis exponantur, uolo, atque desidero. Nam ibunt ominor tutò, & fortuna, & pio lectore defensoribus. Bene uale Doctor egregie. Masani pridie Calend. Decembris, 1549.

HECTOR FORESTVS VASIONENSIS IOANNI CHANDELONO. S.

QVas nostris de receptis prælectionibus scripsisti literas heri accipiẽs, hodie de industria remitto, quò sis liber, & eas cum epigrammate quod paras, fortunæ cũ nostris,

ſtris, ſi uelis, exponere. Interim uerò te oro, ut quàm citiſsimè, quamq; fideliſsimè poteris, negotium procures. Nam profectò nihil apud me eſt æquè primũ, atq; uelle manifeſtum eſſe, quo ſim animo erga illum, cuius cauſa hoc ſumpſi muneris. Vir eſt mehercule ut magnificus, ita tum bonus, tum erga bonarum literarum ſtudioſos bene affectus, ac cui plerìq; literati multũ debent, ut quos & ipſe tum pecunia, tum uerbis adiuuit, & à fraterna domo, ut iuuarẽtur perfecit. Domus eſt certè Guadagnorum fœliciore aliquo ac magis præclaro cum nominanda, tum celebranda ingenio. Eius enim quanta fuerit liberalitas, quanta magnificentia, quanta charitas ac pietas, extant præclara monumenta, extat recipiendis peſte contaminatis pauperibus xenodochiũ illud magnificum, quod Auenionenſes Campumfloridum uocant, eius ſolius permagna impenſa bis conſtructum. Nam cùm anno triceſimoquinto ſupra ſeſquimilleſimum Auenionenſis belli aduerſus Cæſarẽ apparatu ab Heluetijs & alijs gregarijs militibus, ferè ſolo æquatum eſſet, anno coniunctim ſequente ædificatum eſt denuo. Extant annuæ, tum quotidianæ, & hic, & Lugduni, ac Florentiæ (ut ex multis cum ibi eſſemus ſciuimus) in pauperes erogationes, tum pauperrimis filiabus maritandis largitiones. Illud autem affabre factum Lugdunenſe ſacellum, tum xenodochium, ac reliqua omitto multa, quæ mea quidem ſentẽtia, & celebrem, & immortalem Guadagnorum familiam effecerunt. Faxit Deus opt. max. ut Guilielmus & Thomas à Guadagnis Thomaſsino patri ſuperſtites creſcant, ſemperq; fœlices uiuant: quo, ut paternum & auitum nomen eſt immortale, ita ſuum aut ſuſtineant, aut efficiant ſempiternum. Hæc uerò nota tibi uolui, ut ſacrificus illos orationibus adiuues, & mecum Guadagnorum familiæ bene preceris: quam ad rem te

summopere hortor, atque ne intermittas aut in sacras, & bonas, ut soles, literas incumbere, aut hanc rem nostram obnixè agere. Sed quòd tanto desideras affectu, ut reliqua scholia nostra emittam, hoc (bona tamen tua pace) nondum placet. illis siquidem hæc in Quintum, uolo fortunam pertentare, ad cuius euentum de reliquis disponetur. Tibi uerò si percupis in Ethica incumbere (opus enim est nulli non homini ad bene, beateq; uiuendum cognitu necessarium) libenter communicabo, ut si quid inde tuam in rem futurũ cognoueris, excerpas: de quo nihil amplius scribam, neque rem magis commendabo nostram: sed omnia tuæ committo fidei: ut cùm negotium absolueris, tuto allatum cures, pro tui tamẽ animi tum arbitrio, tum prudentia disponens. Quòd tuo si animo sederit, ut ad nos epistolã adscribas, obsecro, ne tam illustres mihi titulos præfigas. Ego enim nihil magis absum, quàm à consultissimo aut egregio. Magis profectò consentaneum fuerat, ut gregarium aut plebeium doctorem diceres, quàm egregium. Vendicent alij aut uenentur quot, quales, & quantos uolent titulos, ego autem mecum habito, & noui quantum mihi curta supellex. Bene uale. Auenione, tertio Non. Decembris, 1549.

IOANNES CHANDELONVS HECTORI FORESTO VASIONENSI S. P. D.

ABsolui tandem prælectiones tuas, egregie Doctor, in Quintum scribere, quas præsenti tabellario de ipsius fide certior factus reportandas commisi. Quòd si illis in transcribendis præter tuam expectationem plus temporis insumpsi, est profectò quod frigori adscribendum putes: hic enim

enim adeò hactenus inualuit, atque adhuc intenditur, ut omnia etiam ad prunas, quod inquiunt, & inter illas, usa sint congelari: periculumq; imminuit, ne ad calamum rigerent articuli. Sed tandem liminarem epistolam, binasq; tuas ad me relegens literas animaduerti quod de nobis scribis. Age, age, de me quod libuerit dictum uelis: plus tamen nemini credo, quàm mihi. Gaudeo uerò mecum, ac mirum in modum gratulor, tibiq; ingentes ago gratias, quòd non solùm Chandelonum tuis scriptis inserueris, sed etiam & Epigramma & unas ad te nostras literas adscribendi feceris potestatem. Ecce tamen (ut fit) unas permisisti scribere, ego uerò tua fretus permissione has alteras cum binis ad me tuis addidi, sperans omnibus bonam fortunam, ac propitium lectorem fore. Quòd si quid aut his aut illis præter tui animi sententiam insit, abrade, & si placet remitte: ego enim quoties uoles, rescribam: ac si quid est quod tuo possim amplius nomine, certiorē me facias: tuis nanque apud me omnia posthabebuntur. Volebam tibi per omnia morem gerere, atq; tum consultissimi tum egregij titulū expungere, illorum loco gregarij ac plebei ut mandasti, reponendo. Sed ut animus, ita manus non potuit, quin rursus, & egregium, & prudentissimū scripserim. quæ ambo mihi obsecro de te permittentur. Bene uale & me redama. Masani 11. Calend. Ianuarij, 1550

17




calibrite
colorchecker CLASSIC
mm